
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
17 A
49





DE OFFICIO
FIDELIS ET PRVDEN-
TIS MAGISTRATVS TEM-
pore peſtilentiæ Rempub.
à contagio præſeruan-
di liberandíque
Libri duo.

Autore Iohanne Evvich, inclytæ Reip. Bremenſis medico ordinario.

Pſal. 40. Eccleſ. 7.

Bene illi, qui prudenter ægrotos tractat: Nam quo tempore ipſe aliquid aduerſi patietur, Dominus viciſsim ei auxiliabitur.



NEAPOLI NEMETVM
excudebat Matthæus Harniſch.
ANNO M. D. LXXXII.



AMPLISSIMIS,
ORNATISSIMISQVE VIRIS D. CONSVLIBVS, AC SENATORIBVS REIPVBLICAE Bremensis, Stadiensis & Boxtehudensis, Dominis ac patronis meis obseruandissimis S. & tranquillitatem.

DEPLORANDVM est, viri amplissimi, ornatissimíque, naturam humanam eò calamitatis primi parẽtis nostri culpa deuenisse, adeóque excæcatam esse, vt non modò assiduè plurima ei incommoda, Sathanæ tentationes, hominum persecutiones, bella, angustiæ, fames, morborum omne genus, mors denique perferenda sint, sed vt etiam horum malorum neque cau- *Miseria vita humana.*

ſas intelligat, neque idonea remedia
quærat, vel admittat. Adeo enim pleri-
que ſunt ingeniis deprauatis, vt ſi quos
animaduertant, qui & morbum ipſis in-
dicare & pharmacum adhibere poſſint,
ac velint, riſu potiùs excipiendos, vel o-
dio perſequendos ſibi eſſe ducant, quàm
beneuolè audiendos, aut pro officio be
neficium aliquod reddendum. Quam
indignitatem ſi vlli homines alij, certè
Theologi & medici potiſſimùm ſentire
ſolent: quippe qui tum demum odioſi
incipiunt eſſe quibuſdam, cùm maximè
profuerunt, reque ipſa experiũtur, quod
Xenophon inquit, Ingratitudinis comi
tem eſſe impudẽtiam. Quod etſi ita ſit,
& mihi quoque aliquando vſu venerit,
tamen propterea non exiſtimaui ceſſan
dum eſſe, quò minùs Chriſtiani medici
officio, tum meditando quæ vtilia ſunt,
tum agendo quæ inuẽta, ὅσον δὴ μὲν ἐγὼ δύ-
ναμαι χερσίν τε ποσίν τε, ſtudiosè fungerer.

Quamobrẽ cùm ante annos aliquot
Meſuæ conſilium, quo iubet Deum in
omnibus pręponi, ſecutus, duos libellos
de

de rebus Theologicis, quæ vera ſunt animæ medicina, in lucē ediderim; quorum vno, qui aduerſum abſurdas hęreſes noſtri tēporis ſcriptus eſt, falſa dogmata quaſi vitioſos humores extirpare conatus ſum: altero, qui de cognitione volūtatis, gratiæq; Dei, & de veræ cognitionis fructibus ac ſignis inſcribitur, ſana relig. Chriſtianæ doctrina, tanquā bono & ſalutari nutrimēto imperitos alere corroborareq; volui: idē ſubinde cogitaui, cogitabóq; poſthac, ſi Deus animæ parcet ſuperſtiti, in propria quoq; profeſsione. i. orporis medicina, pro viribus præſtare.

Porrò quod de Theologicis dixi, non ita intelligi velim, quaſi falcem meam in alienam meſſem temerè mittere voluerim, & πολυπραγμονεῖν; omiſſis enim grauibus controuerſiis, tantùm ea ſum ſectatus, quæ ab omnibus approbātur, aut inſectatus, quæ à meliori parte improbātur, idq; illis argumētis, quæ tum in ſcholis, tum in templis didici, atque obſeruaui. Quare nullum nefas eſſe puto, ſi diſcipulus lectionis ſuæ penſum reddi- *Studium Theologiæ ad omnes pertinet.*

derit: quando omnium testimoniis cō-stet, à mundi primordio, inde vsque ad nos, non modò ius & fas esse, vt homines adepti rationis vsum, iudicent de religione, sed etiam vtile & necessarium esse, vt exactè iudicare, id est, falsam à vera; noxiam à salutari; confictam ab hominibus, ab ea quæ diuinitus tradita est, discernere possint. Quemadmodum enim omnes homines duabus partibus, id est, anima & corpore constant, ita quoque duplex actio in omnibus esse debet: vna, qua Deum magnificare & celebrare nos decet; altera, qua Reip. studium & operam nauare tenemur. Atque vt illarum partium quamuis natura distinctarum, magna tamen est inter ipsas cognatio: sic hæ actiones à se mutuò sine graui scelere separari non possunt. Ergo impiè faciunt, qui ita profanis negotiis publicis vel priuatis incumbunt, vt diuinarum rerum nullam aut exiguam rationem habeant: inhumaniter verò, qui ob diuinarum studium, rem domesticam & publicam negligunt. Cui sententię ve-

ſtra quoque prudentia amplisſimũ prębet teſtimonium, dum in ciuitatibus veſtris non ſolùm id ſtudetis, vt ciues commodè & tranquillè inter ſe viuant, ſed etiam in doctrina ſalutis rectiſſimè inſtituti, piè & ſanctè ambulent. Nam vbi alterum horum duntaxat curatur, fieri nõ poteſt, vt Reſpub. & Eccleſiæ diu feliciter gubernentur. Quod præter aliarum quarundam regionum exempla, afflictiſſimum Galliæ regnũ, & miſerabiles Belgij prouinciæ, prò dolor, hodie demonſtrant. Quæ enim alia cauſa eſt illorum ferè inauditæ calamitatis, quàm puræ religionis contemtus, veritatis diuinæ neglectus, eorúmque qui veræ pietatis ſtudioſi fuêre, nefaria perſecutio? Nã dum Magiſtratus ſuam magis autoritatẽ tueri ſtudet, quàm ſyncerũ Dei cultũ; priuatæ potiùs quàm diuinæ volũtati ſubditos parere cogit; denique impiiſſimi Doëgi & Machiauelli conſiliis aurem libẽtiùs præbet, quàm Gamalielis ac Abdiæ, talia neceſſariò ſequuntur effecta, quales præceſſêre cauſæ. Quia autẽ exi- *Gallia & Belgium.*

tiosam hanc opinionem,& tyrannicam planè gubernandi rationem vos ex animo scio detestari,& in id potiùs incumbere,vt subditis vestrarũ P.tam animo, quàm corpore quàm optimè sit, facere non possum,quin hanc piam voluntatẽ, & sanctissimam curam vestram summoperè laudem;nec laudem tantùm, sed etiam qualicũque studio & industria pro officij mei ratione adiuuem.

Quando igitur hoc tempore in tota ferè Germania nostra dira illa pestilẽtiæ lues,quę rectè immanis Draco à Galeno appellatur,passim gliscat, & alicubi nõ procul à nobis atrociter grassetur, ac velut cancer progrediẽdo pascat proxima quæque, multi quidem eruditi medici de curatione eorum qui hoc morbo laborant,atque etiam de singulorum prę-seruatione accuratè scripsêre,& consilia sua integris libris reliquêre,laudabili certè instituto: verùm quia hoc eorum studium animaduerti non sufficere,sed cõtagium nihilominus quotidie augeri, suaque mobilitate vigere, viresque acquirere

De Ther. ad Pison.

quirere eundo, maximè quòd nulla publica ratio & ordo obſeruetur hoc malū declinādi, maiori aliquo ſubſidio opus eſſe vidi, nempe quod officio Magiſtratus (in cuius opera potiſsima ſpes tanti infortunij compeſcendi poſita eſt) adhibendum ſit. De quo cùm olim aliquid collegiſſem, quod partim vſu & experiētia in pręclariſsimis vrbibus & regionibus obſeruâram, partim rationi cōſentaneum eſſe iudicâram, viſus ſum mihi operę pretium facturus, ſi id ipſum ſub incudem reuocarē, & in vulgus darem: vt ſi fortè aliqui perſuaderi poſsint, in auertendo hoc peſtifero periculo, nōnihil in humana induſtria poſitum eſſe, haberent aliquam ſaltem œconomiā, quā ſequantur: et ſi conſilio & orationi meę quędā deeſſe putent, ipſi re & opere ſuppleant. Non enim talis hęc cauſa eſt, quę eleganti ſermone & apta ſolùm deſcriptione contenta ſit, ſed quę ſemel prudenter deliberata, maturè perficiatur, & in actum, vt dici ſolet, ducatur.

Quod autem viri ampliſsimi V.P. hāc

meam lucubrationem coniunctim dedicare voluerim, duæ mihi potißimùm causæ fuêre: quarum prima quodã quasi iure me obstringere videbatur: quippe in quorum ditione iam propè 18 annos medicinã faciẽdo, stipendio mihi in primis obseruãdæ Reip. Bremẽsis cõsumsi, vitæque meæ terminum quodãmodo fixi, vt à quibus plurimum acceperim beneficij, iisdem redderem, quantũ possum, officij. Secunda in mysterio ternarij numeri vestri à me cõsiderata fuit, dũ in hoc Episcopatu, quasi in vno corpore tria præcipua membra, cerebrum, cor & hepar repræsentare, summáq; animorum consensione, vnanimi subditorum gubernatione, denique concordi religionis cultu pulcherrimam quandã trinitatis harmoniam mihi referre videbamini; in qua non vni ex tribus (præsertim cùm hæc cura æquè ad omnes magistratus pertineat) sed tribus potiùs in vno hoc officij debere me existimaui. Vestræ ergo P. erit, domini & patroni amplißimi, obseruandißimique, hoc pro-

pensæ

penſæ meæ voluntatis, obſeruantiæque teſtimonium in bonam partem accipere,& hanc publicæ ſalutis curam, quam hîc mediocriter delineaui, vobis commendatam habere. Quæ ſi quando irreuocabili,ſi ita loqui fas eſt,fato victa fuerit,ſatis erit Deo, hominibuſque ſtudiũ & beneuolentiã ſuam approbaſſe. Chriſtus Ieſus verus omnis mali auerruncus, & tam carnalis quàm ſpiritualis medicus, genitus ex ingenito, in homine Deus,in morte vera vita (vt verbis concludam Egeſippi) vos vnà cum ſubditis veſtris ab hoc lethali contagio illæſos,ac quàm diutiſsimè incolumes conſeruet. Datum Bremæ,anno M.D.LXXXI.



V.P. deditiſsimus
Iohannes Evvich medic.D.

PRAEFATIO AD LECTOREM DE CAVSIS PESTILENTIAE.

Alexand. Trallian. lib. 1. ca. 1.



ONSTANS *medicorum doctrina est, priorem partē omnis curationis ad causarum iudiciorúmque cognitionem esse reuocādam. Cùm igitur crebrò inter eruditos disputetur de causa huius tam horribilis morbi, quem pestilentiam vocamus, cuiúsq; publicam curandi rationem tradituri sumus, visum est mihi esse operæ pretium, paucis hanc rem declarare, vt tantò faciliùs diligentiúsque suo quisque officio in hoc dracone (vt rectè illam appellat Galen.) domando, placandóve fungatur. Meritò enim quibusdam dignum admiratione videtur, tam multos sæpe vna in domo mori, in quam semel ista lues incidit; & qui maturè inde fugerint, plerumq; illæsos manere. Quod qui ineuitabili fato, aut immediata à Deo afflictione accidere autumant, meo iudicio, indistinctè loquuntur. Nam quæ talis est pestis, non vulgaribus*

ribus signis, & prorsus rarò, atq; miraculosè solet accidere. Conniuere autē Deum ad multa, & nos, quod poßit, non semper tueri: aut, vt rectiùs loquamur, tum Diabolo, tum hominibus, quin etiam nobis ipsis ad probandos nos sæpenumerò vti, nihil dubito, tātùm abest, vt inficias ire velim. Deinde & illud rarum est, & multis senio confectis nunquam visum, pestem ex communis aëris putrefactione oriri. Nam & hîc multa & manifesta signa præcedere necesse est. Vnde astrologos ex non satis exacta (quomodo enim poßint tantarum rerum tam abditas naturas, syderúmque omnium tam varias coniunctiones disiunctionésq; constāter obseruare?) causarum æstimatione, sæpe turpiter hallucinari videmus. Ergo quando neq; Deum excludere, neque temerè nostri erroris autorem facere fas sit, de sententia doctißimorū grauiúmque virorum, tum philosophorum & medicorum, tum theologorum hoc æquè dici posse videtur: pestem quidem omnem, sicut & alios morbos (vel Hippocrate teste) ac omnes aduersitates à Deo esse, sed nō vnam tamen habere naturam: alia enim merè diuina est, & sic Pestis est triplex.

propriè appellari poßit; secūda naturalis: tertia contagiosa. Diuina quidem, quum immediatè à Deo, vel fato diuino (vt eam Alex. Bened. describit) nullo naturæ errore, nullo stellarum situ, aut syderum defectu minante, aut hominum vitio temeritatéq; oritur. i. cum Dei indignantis mera voluntate iráq; mortalibus ob delicta sua immittitur. Dirißima autem res est, & subitò nata sæuißimè grassatur in eos (neq; enim νυκτομαχίαν illius castigationem esse dicimus) qui signati non sunt: quam neq; fuga, neque medicamentis euitare possumus, aut debemus, sed tantùm supplicationibus, votis & expiationibus locus est. Manifestatur etiam plerumq; vt est, diuinis terrificísq; planè signis, aut ipsius Dei, aut Prophetarum voce.

Diuina. 1. · *Ion. 3.* · *Tob. 14.* · *Nah. 1. 2.*

Naturalis 2.

Naturalis autem pestis est, quæ causis mediatis, ac in natura consistentibus nascitur. Hæc à quibusdam triplex statuitur, nēpe vel ratione aëris, vel aquæ, vel terræ: ab aliis duplex (quod in idem ferè recidit) scilicet communis & priuata: quarū hæc Epidemia propriè non vocatur, etsi causa epidemiæ. i. communis pestis aliquando existat. Quæ autem

vel

vel aëris, vel aquæ, vel terræ ratione accidit, nec proximè, nec propriè Deum autorem habere dicunt, etsi Dominum, cui parere cogatur, & cuius nutu regatur, habeat. Adeo autem & hæc sæpe furit, vt vrbes nobilissimas, prouincias, regionésque potētissimas (vnde & nomen ἐπιδημίας esse videtur) integras aliquando exhauriat, regna subuertat, vestigia habitúmque priorem planè auferat, cæca vt plurimum (humanitùs loquor) incerta, inconstans, vaga, inexorabilis, sine lege sæuiens, quoscunque inuenit obuios rapiens, nullo nobilitatis plebísve discrimine, latè aliquando ab oriente vsque ad occidentem cuncta inficiens, imò & ad animalia, ad arbores, arborúmque & terræ fructus (vnde syderatio illa, quā Græci ἀστροβολισμὸν vocant) denique & ad pisces transiens, elementis tabefactis, exitiali (vt opinantur) syderum Saturni & Martis coitu in sede Virginis aut geminorum, Lunæ Solísque defectu, cæterísque circumstantiis adiectis. Hoc malum miserabile mortalibus ita euenit aliquando subitò, vt plurimi sine febre inter domesticas aut forenses actiones, aut publica negotia decem vel viginti horarum spatio,

D. Hier. cap. 9 in Matth. Luc. 4.

ἐπιδημία.

H. Cardā. de rerum Variet. 15. cap. 18.

sine vrinæ, pulsúsq; certo signo, in templis, in via, in publicis officiis; imò nonnunquam in conuiuiis læti, iucundi, securi (ô tristem humanæ naturæ conditionem!) ex insperato, leui temporis momento abrumpantur. Quare in hac specie pestis illud tripharmacum (citò, longè, tardè) tutissimum ἀλεξιτήριον *esse opinantur.*

Corn. Cels. lib. 1. ca 10.

Illa verò quæ originem à contagio habet, conuictu, vel contactu, vel habitu contrahitur eius, qui ea est pollutus, accidítq; mera hominum negligentia; quamuis non minùs aliquando sæuiat, quàm priores duæ, dum in corpora idonea. i. quæ prauis, vel ad putrefactionem aptis humoribus redundant, tanquam ignis in stupam incidit, & securitate imprudentium, bonáq; consilia contemnentiũ quotidie robur capit, atque sua mobilitate viget, viréſque acquirit eundo: adeo vt ex priuato damno publicũ, ex singulari vniuersale tandem, quasi è parua scintilla ingens incẽdium euadat, & secundum illud poëtæ,

Cõtagiosa. 3 Francisc. de Pedemont. cap. 6. de feb. putr. Pet. Bayr. de med. morb. dist. 21. tract. 2. cap. 3.

Πολλάκι καὶ ξυμπᾶσα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Hoc autẽ genus Epidemiæ neq; Græcos, neq; Arabes cognouisse, testis est Hier. Cardanus, cui

De Variet. rerum. 8. cap. 46.

cui ego facilè aſſentior. Cùm enim temperantiùs viuerent, maturè medicorum opem requirerent, admitterentq́ue, ac prudenter cum ægris verſarentur, huiuſmodi mali diſſeminationem faciliùs prohibuerunt illi quidem.

Quæ cùm ita ſint, facilè intelligi poteſt, quemadmodum peſtem à Deo hominibus immitti Scriptura referat, & quo pacto audiẽtes præceptis ſuis ab ea liberet. Nullum enim pilum capitis noſtri ſine voluntate eius cadere, nullum malum in ciuitate, quod Deus non fecerit, eſſe, equidem fateor. Sed hæc non ſemper immediatè à Deo proficiſci, vt proxima eorum cauſa dici debeat, viciſſim iudico: imò rectiùs & magis propriè de ſua & proximarum cauſarum natura eiuſmodi exiſtere dicenda ſunt, quàm reſpectu prouidentiæ Dei. Quia vnumquodq́ue à principiis ſuis internis vel proximis .i. à ſua natura denominandum eſt, non à cauſis externis. Quid enim, ſi quis ebrius in ignem aut aquam incidat: aut dum ob ingluuiem vomitum ſibi ciere ſtudet, in rupturam venæ thoracis, & hinc in phthiſin deueniat, an Deo potiùs, quàm ipſius ebrij intemperantiæ aſcribes? Si quis in otio, aſſi-

Ch. Pezel. 3 parte arg. Philip. de neceſſ. & fat. arg. 7. VV. Muſc. Loc. com. de afflict.

b

duáq; crapula viuens, cibo multiplici ac humido intempestiuè & sine ordine se explens, luxu diffluẽs, Veneri, choreis, balneis, somno totus deditus, aëri modò frigido, modò calido sese exponens, copiam cruditatis & pituitæ maximè hyeme, & in frigida regione colligens, cælo pluuioso, natura humidus, obæsus, ætate senex vel puer: si talis, inquam, in febrẽ quotidianam incidat, an non potiùs naturæ negligentiæq; hominis, quàm diuinæ prouidentiæ attribues? At si præter simplicem putredinem, alienam quoque perniciem isti collecti humores, ac sensim vetustate degenerãtes, venenique cuiusdam participes habuerint: aëris quoque forte inquinamenta ex infectis paludibus, lacubus, antris, specubus, hominum animantiúmque cadaueribus aut excrementis, aut ex aliis grauioribus expirationibus accedant, & ex temporum tempestatúmque inordinatis exuperantiis procedant, corpúsq; humanum iam ad suscipiendum aptum, vel cum cibo, vel aëre, vel quouis modo aliter penetrent: si, inquam, hæc ita contingant, & naturæ suæ febres malignas pestilentésq; proferant, quis non potiùs in naturam

Ioh. Farnel. de feb. 4. cap. 17.

turam tum aeris ac putredinis, tum in temeritatem incuriámque hominum, quàm in Dei peculiarem & meram punitionem causam referat? vt meritò apud Homerum querantur dÿ his verbis:

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.


Simili enim propemodum errore nõnulli inuoluuntur, quo apud Hippocratem quidam ipsius interpretes. Cùm enim ille medicos obseruare iußisset, an quid diuini inesset morbis, illi hoc eò torquebant (inquit) quasi ira Deorũ morbis corriperentur homines. Quod Galenus in comm. ex mente eiusdem Hippocratis pernegat: etsi enim ambo non satis distinctè, vtpote vera Dei cognitione destituti, de hac re iudicarunt: tamen non mox quæcũque alicui incognitas aut à vulgi opinione multum diuersas causas habent, simpliciter diuina, sed fors admiranda quis dixerit. 1 *Epid.* 3. *Galen in prognost. Hipp. comment.* 1.

Quæ igitur ratio est, quæres, quòd paßim tam constanter pestilentiam præ aliis morbis diuinam pœnam homines esse iudicent? An quia plerunque graue & atrox malum *Sacrum & diuinũ* ἱερόν.

esse experiuntur? Nam & veteres tam Græci quàm Latini, sacrum seu diuinum appellare consueuerunt, quod insolitum, vehemẽs & admirandum est. Esto verò. Hoc tamen doctorum & piorum testimoniis constat, non semper, quod ab initio dictum est, Dei immediatam esse punitionem, quemadmodum illi vel præ imperitia, vel nimia religione sibi persuaserunt. D. Hieronymus ait, plerasque corporis debilitates (quod sanè ei concedendum est) euenire propter peccata: ergo plerasque aliis de causis, id est, natura, hominúm ve temeritate & negligentia (quod M. Lutherus de peste VVitebergensi, anno 27 vltrò fatetur) accidere, eo ipso indicare videtur. Et Basilius re ac nomine magnus, non omnes ægritudines esse naturæ, aut ex neglecto victu, aut aliis quibusdam principiis, quibus medicina vtilis sit, affirmat, sed sæpe flagella peccatorum ad conuersionem à Deo inducta esse, secundum illud: Quem diligit Dominus, castigat: castigat autem omnem filium quem recipit. Certè cùm dicit non omnes & sæpe, aliquas quoque naturæ esse, & sæpe non immediata à Deo flagella esse hoc ipsomet fatetur.

Hieron. in Matth. 9.

tetur. Possem idem summorum ac præcipuorum virorum multis & luculentis testimoniis probare, sed puto neminem esse, nisi planè oculis & mẽte careat, aut præ αὐθαδείᾳ omnes sensus obstupefactos habeat, qui id velit negare. Quare cùm veritati consentaneum sit quod dicimus, facessat illorum imperita pertinacia, qui omnem pestem immediatam Dei plagam esse persuasi, nullum conatum, nullũ studium ab hominibus adhiberi ad eam abigendam; sed tantùm cum Euchitis ad preces & supplicationes confugiendum esse volunt: omnes humanos labores & sumtus vanos & inutiles esse dictitantes: quod similiter censent nonnulli de reliquis omnibus morbis. Nobis enim longè aliter sentiendum est: qui cùm Deo omnia subiecta esse, illiúsq; nutu regi, piè confiteamur; nostro tamen vitio naturæq; cursu multa contingere affirmamus, quæ post Deum humana ope & studio emendari, vitari, vel etiam mutari poßint & debeant.



DE OFFICIO FIDELIS ET PRVDENTIS MAGISTRATVS, TEMPORE pestilentiæ Rempub. à contagio præseruandi, liberandíque.

LIBER I.

Ad Magistratum pertinere publicæ salutis curam.

CAPVT I.



SAIAS diuinus Propheta, & Homerus poetarum summus, alter cęlesti, alter naturæ lege excellenter illuminatus, Principes & Magistratus insigni titulo ornarunt, dum ille sua lingua Omenim, hoc est, nutritios, videlicet Ecclesiæ: hic verò ποιμένας λαῶν, id est, pastores populi eos appellarunt: nimirum ob id, quòd suos subditos salutaribus legibus, & recta disciplina regere, tueri, atque etiam quæ ad victum necessaria

Esa. cap. 49.60.
Homerus Iliad. 1.
Plato 4 de Rep.

ſunt, illis quodammodo procurare debeāt. Etſi enim non tribuunt vnicuique in manum, quēadmodum parentes liberis, quod comedant ac bibant: etſi nos non alunt otioſos, tamen cum prudenti politia id efficiunt, vt nihil deſit, quod quiſque vel commercio, vel opera, vel re ſibi ſtudet comparare: quódq; honeſta ratione comparatum eſt, tutò poſsidere & lætè frui poſsit, non immeritò hoc honorificū nomen & elogiū illis tribuerunt. Quemadmodū autem diligenti nutritio ac fideli paſtori nō ſatis eſt ea alumno gregíque ſuo procuraſſe, quæ ad neceſſarios vitæ vſus requiruntur, verùm etiam quæ damnum valetudini inferre poſsint, auertere: quæ verò in diſcrimine conſtitutis ſalutare remedium afferre, proſpicere ſatagunt: Ita quoque prudens ac fidelis magiſtratus non tantùm curam & induſtriam illis rebus adhibere debet, quæ res ad cōmercia iuſtè habēda, ad artificia mechanica gnauiter obeunda, ad tranquillitatem inter ciues conſeruandam, pacémq; colendam pertinent, ſed etiam ea prohibere debet, quæ illa aut tollere, aut magna ex parte labefactare, aut vniuerſam ſocietatem funeſto contagio inficere, ac miſerabili caſu vitam vniuſcuiuſque attentare & perdere queant: maximam imperij partem arbitratus communis ſalutis procurationem. Si enim dij ſunt, & (vt pſalmiſta ipſe rex ac gubernator eos vocat) filij Excelſiſsimi, profectò Deū, à quo indies tum neceſſaria poſtulamus, tum

Comparatio.

non

non necessaria aut aduersa deprecamur, hac ratione sedulò imitandũ sibi esse scire debẽt, vt nõ solùm vtilibus, necessariis, salutaribúsq; rebus ciuitatem instruant, sed ab inutilibus etiã perniciosisq; præseruent ac liberent. Quod cùm videret, quantũuis veri Dei inanis gentilitas summè necessarium & propè diuinum esse, non ἀναλογικῶς, vt Iudæi ac Christiani, sed ἀληθῶς reges, Principésque populi, Deos vocare, & diuinis honoribus mortales colere cœpit. Nam quum nulla vnquam tam barbara natio extiterit, quæ non habuerit aliquem Deitatis sensum: imò quum Apostolus hac de causa ipsas quoque gentes inexcusabiles esse, quia id quod de Deo cognosci posit, in animis suis inscriptum haberent, disertè affirmet: quis credat eos toto cælo æberrasse, quum pro diis colendos censuerunt, (quod Plinius diuinum esse dixit) quos alios omni studio iuuare animaduerterent? Quamuis enim non rectè tribuerint pluribus, quod debebatur vni: tamen naturæ viribus adeo profecerunt, vt Dei naturam officiúmque propè çognouerint, licet non probè coluerunt. Præterea alibi idem Apostolus comparat Ecclesiam cum humano corpore: sicut enim mẽbra suam singula habent facultatem & functionem, vna tamen vi cerebri cuncta reguntur, vtilia appetunt atque amplectuntur, noxia declinant: ita quoque Magistratus, qui in externa hac societate caput vulgi sunt, reliquis ciuibus salutaria

Galen. ad Pison. cap. 2.

Psal. 81.

Rom. 1.

Lib. 2 nat. hist. cap. 7.

proponere, dãnosa verò arcere debẽt, vt verè pa
storũ & nutritiorũ munus implere dici possint.

Obiectio. Quod si verò dicat aliquis, Dei propriũ mu-
nus esse, conseruare & regere humanum genus,
Responsio. quod singulari consilio condidit: Respondeo ve
rum quidem id esse, sed quemadmodum Deus
per ministerium hominũ nos docet, liberat à
peccatis, gratiæ suæ participes reddit ac seruat,
quamuis re ipsa hæc non sint hominis opera: ita
& gubernat conseruátque vitam humanam per
hominum illorum ministerium, quos ad hoc
munus eligit, & huius laudis participes fieri si-
Cic. de leg. nit. Hinc Romulus, qui Romanam vrbem con-
didit, & Quirinus ille fuisse existimatur, quodã
Romulus. iure Deorum consortio asscriptus est, propterea
Augustin. de ciuit. Dei 2, cap. 15. quòd se benignum beneficúmque gubernato-
rẽ populo exhibuisset. Hercules ex Ioue & Alc-
mena genitus, non solùm nomen hoc (ita enim
Hercules. responderat oraculum, ἥρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων
κλέος ἄφθιτον ἕξεις) obtinuit, quod immortali
honore fuit consecratum, sed etiam in numerũ
deorum relatus est, quòd monstra quæ homini-
bus damna darent, grauiáque pericula afferrẽt,
indefesso studio summísque laboribus è medio
Apollo. tolleret. Apollo & filius eius AEsculapius pro-
AEsculap. pter opem medicam, qua hominibus maximè
profuerunt, deorum nomen adepti sunt. Eru-
besco referens, cognato quodam errore nostri
maiores multis erexêre templa, ac tantùm non
diuinum tribuebant cultum, de quibus vix cõ-
stat,

ſtat, an in rerum natura vnquam extiterint, aut opinio ſaltem leuis eſſet, quòd aliis ſimilia officia præſtiterint. Quare etſi non parum illos deliquiſſe exiſtimemus: tamen quòd agnouerint, ſingulari gloria dignos eſſe, qui pluribus profuiſſent, magis excuſandam, quàm imitandam eorum infirmitatem cenſeo. Nam hoc certè ex illorum credulitate cõſtat, maximè decere, qui aliis præſunt, ſubditorum ſuorum ſalutem quibuſcunque modis procurare ac tueri, omnibus quæ eam labefactare poſsint, maturè & prudẽter è medio ſublatis. Quamobrem, quis velit dubitare, in hoc quoque rerum ſtatu, quo de hîc agimus, videlicet luis peſtiferæ, pium & prudentem magiſtratum non oſcitanter, ſed alacriter, (ſegnitiei enim hic locus non eſt, & quod Hippocrates inquit, in omnibus morbis periculoſam eſſe moram, id præcipuè in hoc lethifero morbo vſu venit) non parcè, ſed copiosè agere debere, neque modò de ſalutaribus rebus prouidere, verùm etiam de noxiis ſollicitum eſſe, vt maturè & prudenter auertat, oportere? Cùm enim peſtis ſit pernicioſiſsimus ſimul & contagioſiſsimus affectus, imò (quemadmodum Galenus loquitur) quaſi draco quidam, qui contra hominem venenum ſpirat, induciáſq; omnino negat, & rarò ad pacis conditiones deſcendit, grauiter peccat in charitatem, quiſquis non pro virili ſua parte aliquid præſidij, tanquam antidotum, quod iſtum draconem domet, conqui-

Gal. ad Piſon. 2.

In epiſtola ad Crate.

Vide Octauianum med. in præfat. operis ſui.

rat & afferat' grauiſsimè autem Magiſtratus, qui in hac communi calamitate præ ceteris plurimum poteſt & debet. Neque nos hîc mouere debet quorundam inſignium & eruditiſsimorum virorum autoritas, qui nimium imprudenter negare videntur, ad Magiſtratum hanc curam pertinere, cuius non ſit, homines à morbis liberare, ſed vitæ duntaxat & fortunarum noſtrarũ ſecuritatem & pacem tueri: ſatis enim vel ipſorum met verbis probari poteſt, etſi Magiſtratus non debeat curare ſingulorum hominum mor bos, aut ab illis qui publicè non graſſantur, neq; communes cauſas habẽt, præſeruare (hoc enim medicorum proprium eſt officium) tamẽ quan do illorum muneris eſſe affirmãt, vt miniſterio & autoritate ſua præſtent, vt ſubditi commodè viuere poſsint: quis non intelligit, hanc commo ditatem etiam ad corporis ſalutem pertinere? Quod qui non credit, is nunquam vidit, quàm miſerè perturbentur omnia hominum officia, Eccleſiarum ordo, ſtudia pietatis, iuuẽtutis inſtitutio, commercia ciuium, vnde ſingulorum grauiſsimam deſtructionem neceſſe eſt ſequi, quando peſtilentia vrbem vel regionem aliquã infeſtat. Quare te ipſum appello, quiſquis in ea ſentẽtia es, vt non putes, Magiſtratus eſſe, remp. à morbis (præſertim verò Epidemicis) præſeruare, nónne morbi eiuſmodi inter reliquas incommoditates numerandi tibi videntur? An verò commodè his graſſantibus viuere inter ſe

homines

homines possunt? Certè affirmare id non potes, si antè quid pestis sit, quídve, vbi semel inualuerit, agat, vnquam es expertus. Cur ergo, inquã, alienum à magistratus officio esse putas, homines à morbis eiusmodi liberare, id est, publica cura tueri? Amabò, non vidisti, quod in omnibus benè constitutis rebusp. vsitatum est, quàm gnauiter in ciuitatibus Magistratus curet, cumulétque, quæ seruiunt in vsus bellicos? quàm studiosè præparet arma? quàm sedulò instructa præsidia retineat, maximè quando aliquid metuit futuri incommodi? at in quem finem, nisi vt commodè viuatur? Quare aluntur equi, ædificantur naues, reparantur mœnia, circumducuntur fossæ, eriguntur turres & aggeres, nisi vt ciues tuti contra hostiles insultus viuant commodiùs? Aluntur simili de causa canes, stringũtur retia, conducũtur venatores, coeúntque cum rure cohortes, si quando lupi aut similes beluæ regionem infestant. Memini in regno Franciæ Leopardos quosdam, quos Rex alere solet: custodia euadere, atque pasṡim agricolis damnum vitæ dare. Integra regio cõscripta fuit, nec sumtibus, nec laboribus parsitum est, donec liberasṡent terram illa formidine. Quãtò igitur iustiùs in hac quoque calamitate prouidam aliquam rationem instituere oportebit, qua tam potẽs hostis, & fera belua, quæ breuisṡimo tempore latisṡimè grassari solet, & velut cancer, vicina quæque depascit, à ceruicibus nostris auertatur? vt ne

Le. Lemnius 2 de occul. nat. miracul. cap. 4.

Leprosi. cum immundis leprosis versarentur mundi in veteri Testamento, Magistratus authoritate, illorum fiebat separatio, neque priùs in populum reliquum recipiebantur, quàm à constitutis ad hoc presbyteris nudati iudicarentur. Item hodie quadam illorum similitudine (nequaquam enim idem vtrobique est malum, neque eadem *Elephantiaci.* separationis causa, vt dicetur alibi) Elephantiaci nostri censura publica abs reliquo hominum conuictu remouentur. Eandem retinet consuetudinem, eadémque prudentia clarissima hodie, *Respublica Venetiana.* & toto ferè orbe terrarum potentissima Respublica Venetiana (ad cuius solertiæ imaginem hanc meam qualemcũque institutionem ruditer adumbraui) in diiudicandis tractandísque pestiferis. Eandem huic propè frequentissimo emporio, ac nominis celebritate similis vrbs An *Patauina.* tuerpia. Patauij nobilissima ciuitate vidi ipse, quando sub medicis ibi militabam, Magistratũ conuocatis medicis, ac causa, quæ tunc à solo cõtagio orta erat, ab illis explicata, nihil industriæ, nihil sumtuum prętermisisse, vt ab ea ciues suos præseruaret, liberarétque: quod & breui tempore, etiamsi malum per totam vrbem sparsum erat, feliciter perfecit. Idem dicere possum de Philippo Hassiæ Landgrauio, qui annis ab hinc aliquot, quãdo pestis in vicinis partibus gliscebat, tam sollicitè, támque paternè ex medicorum suorum consilio, quod per omnes ditiones diuulgatum fuit, egit, vt meritò exemplar esse

possit,

posit, quod reliqui pij & prudentes Principes & Magistratus imitentur, de quo in sequenti capite latiùs dicetur. Postremò idem quoque fecit nostræ inclitæ, & mihi obseruandæ Reipub. Magistratus, cùm anno 1565, hanc beluam paucas suæ ciuitatis ædes quorundam imprudentia inuasisse percepisset, me in Senatum vocatum rationem ac consilium rogarunt, quo possent commissum sibi à Deo populum illæsum conseruare: pia & planè Christiano Magistratu, nisi vehementer erro, dignissima solicitudine. Quæ cùm ita sint, si Principes Magistratúsque nomen suum (quod initiò diximus non solùm à Prophetis, sed etiam à sapientibus Ethnicis illís impositum esse) tueri volent, & quod dicuntur, nutritij & pastores verè cupient esse, fideliter & prudenter agendum sibi esse ducènt, vt & in hac tēporis constitutione nihil curæ prætermittant, quod ad huiusmodi lethale & contagiosum malum auertendum, suósq; subditos ab eo præseruandum, liberandúmque quoquo modo faciat.



Ut Magistratus publicam pœnitentiam ante omnia indicat.

CAPVT II.



ED dicat forsan aliquis, Tu quasi in prouidentia viribúsque hominum vniuersa res posita sit, agis, neque diuini auxilij, vnde omnis victoriæ spes, præsertim in tam ancipiti prælio pendet, mentionē facis: quum tamen vel Mesuæ testimonio constet, in cunctis quæ à nobis fiunt, esse præponēdúm Deum, vt securè & confidenter omnia experiri posſimus. Respondeo, cùm de officio fidelis Magistratus loquor, & Christianus cum Christianis ago, ita illa duo, id est, Dei gratiam, atque hominum operam coniuncta esse volo, vt alter alterius ope minimè destituatur. Rectisſimè enim piisſiméque dixit Hippocrates: Supplicare quidem diis decorum ac valde bonum est, sed oportet ipsum tamen hominem aliquid quoque agere, & deos simul inuocare. Quid ita? Quia homo sine Deo nihil potest, & Deus sine homine non vult omnia facere: benignus quidē est Deus, & homo valde egenus & inops, cùm nihil

Lib. 1. de Insom.

nihil habeat, quod ex illius manu non acceperit, sed vult rogari Deus, atque hac ratione homines suam inopiam agnoscere: qua re ad illius obedientiam, in qua omnis felicitas nostra consistit, impellamur. Si diligenter, inquiunt Moses & Aaron ad Israelem, audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum in oculis eius est, feceris, & auscultaueris praeceptis eius, custodierísque omnia statuta eius, nullum languorem, quem Aegyptiis immisi, tibi immittam, quia ego Dominus te sanans: sin autem non audieritis me, (dicit Deus) neque feceritis omnia pręcepta ista, & si auersati fueritis statuta mea, & non feceritis cũcta praecepta mea, quin potiùs foedus meũ irritum reddideritis, ego quoque hoc faciam vobis: visitabo vos terrore, tumore, & febre ardẽti, quae oculos cõsumant, & animã contabescere faciant. Item aliis pluribus in locis peculiaris mentio fit pestilentiae, quam Deus vel minatur inobedientibus, vel à qua se liberaturum promittit pios: vt nullum dubium sit, quantumuis non omnem pestem peculiarem Dei poenam esse, neque semper immediatè à Deo (quod praecipuè obseruandum est) verùm aliquãdo (quod antè dictum) vel naturae cursu, vel hominum culpa & negligentia existere intelligamus: tamẽ quamcunque habeat originem, semper & ante omnia ad Dei opem esse confugiendum: cuius potenti manui omnem & morbum & sanitatẽ, vitam & mortem subiecta esse certissimè credimus.

Exod. 5.

Leuit. 26.

Nume. 14.
Deut. 28.
Ezech. 5. 14.
2. Reg. 2.

Quare cùm cõstet, hanc quoque causam, qua de hîc agimus, vel maximè ad Magistratum pertinere, vt pro viribus populum suum ab imminenti periculo & morborum contagio præseruet, vel à præsenti liberet, principio hoc curæ sit illis, vt ipsi serio timore ad Deum conuersi, subditis subinde vniuersis publicam pœnitentiam, quæ & precibus tum priuatim, tum in solenni conuentu fusis, & eleemosynis, & abstinentia (non cibi solùm & potus, sed & omnis luxus, chorearum, commessationũ) ostendi solet, indicant, indictámq; exequantur: exemplo populi Niniuitici, cui cùm Dominus per Prophetã minatus esset pœnam propter peccata, Rex ieiunium triduanum, non hominibus modò, sed etiam brutis, præter alia pœnitentiæ opera, iniunxit, vt hac ratione iratum Deum sibi reconciliarent. Cùm Dauid transgressus esset præceptum Domini, immissa est populo tam sæua pestis, vt spatio trium dierum septuaginta hominum millia extinguerẽtur. Qua calamitate motus Dauid, Domino confessus est peccatũ suum, & ab illo precibus impetrauit, vt ilicet omnis ea afflictio cessaret. Similiter de Ezechiele Rege legitur, cùm ei denuntiata mors esset, seria tamen ad Deum conuersione & amaro fletu viginti annorum spatio vitam prolongasse. Legitur & sub Elia, quando trienniũ & ampliùs cælũ clausum fuisset, nec pluisset hilũ, vnde miserabilis annonæ caritas secuta est, Helisæi precibus omnem

2 Reg. 2.
2 Chron. 20.
Egesipp. de excid. Hierosol. cap. 9.
Ezech. 18.
1 Timot. 2.

hanc inopiam repentina copia fuiſſe compenſatam. Huc meritò referri poteſt laudabile factum Illuſtriſsimi Principis D. Philippi Lantgrauij, cuius publicum de hac re ſcriptum Latinè à me translatum, tanquam perfectum fidelis & prudentis Magiſtratus exemplar, quod imitari poſſint, omnibus hîc proponere volui: ſic autem habet: Notum omnibus & ſingulis ſubditis noſtris eſſe volumus, ad nos referri, contagioſum illud peſtilentiæ malum in locis ditionibus noſtris vicinis circumquaque vehementer graſſari, vt metuendum ſit, ad noſtrum quoque territorium ſucceſſurum, noſtróſq; ſubditos inuaſurum. Quando igitur eiuſmodi calamitas haud dubiè pœna eſt peccatorum, admonitos volumus omnes, vt primùm ſeriò ſe ad Deum conuertant, ac veniam culpæ eum precentur: deinde edendo bibendóq; temperanter ſe gerant, & fiduciã ſuam in Deo, qui eſt vnicus & verus medicus languoris noſtri, collocent. Conuocauimus etiam clementi & populis noſtris benefaciendi animo, medicos noſtros, eóſque deliberare, in medium conſulere, remediáq; in vſum tam inopum, quàm opulentiorum præſcribere iuſsimus, quibus poſt Dei inuocationem ſe quiſque aduerſus lethalẽ hunc & contagioſum morbum tueatur & præſeruet, vel ſi eo affectus fuerit, quomodo ſeſe gerat & ſanetur, ſicut ordine perſpicuè hoc ſcripto noſtro continetur: ad cuius normam pro virili ſua vnuſquiſque ſe regat:

Philippi Landgrauij ſcriptũ mandatũ &c.

„ sed vt præcipuè Deo, qui vnicum est præsidium
„ nostrum in aduersitatibus, sibi fidendum sciat,
„ eique constanter adhærescat &c. Hæc sunt optimi clemētissimique Principis verba: reliqua verò, quæ ad remediorum rationem & genera spectant, huc non transferam. Postremò simili pietatis, & in ciues suos φιλοστοργίας testimonio, Magistratus quoque noster anno 65, cùm pestilentia vrbs nostra affligeretur, omnibus Ecclesiæ suæ ministris præcepit, vt populum identidē ad resipiscentiam, ad mutuæ charitatis officia, denique ad sui suorúmque valetudinem secundum regulam à me mandato suo præscriptam & publicatam, curandam seriò ac assiduè adhortarentur. Agnoscebant enim certissimum, verissimúmque esse, quod Apostolus dixit: Fidelis est Deus, nec vult mortem peccatoris, sed vt cōuertatur & viuat. Quod manifestè probauit, cùm Filium suum vnigenitum in mortem, & in mortem quidem crucis pro nobis dederit. Item D. Iohannes nos monet, ne peccemus: quòd si autem peccauerimus, aduocatū nos habere ait apud Patrem, qui pro vniuerso mundo intercedat. Hisce laudatissimis exemplis non solùm vera Magistratus aduersus subditos suos cura, sed etiam peculiaris erga Deum pietas, & Euangelicæ veritatis fructus relucent & demonstrantur. Quorum imitatione & vestigiis etiam pro se quisque incitari, confirmaríque debet, vt Deū sedulò oret, & indubitanter credat, ad se quoq; perti-

1 Cor. 1.

pertinere, quod Christus paralytico dixit: Fili confide, remissa sunt tibi peccata tua: Item leproso, Volo vt saneris, esto mundus.

De constituendis conseruatoribus sanitatis.

CAP. III.



IS igitur prophylacticis, & tanquam spiritualibus armis muniti, videlicet bona cõscientia erga Deum, & firma fiducia de exhibita peccatorum nostrorum (quæ sunt omnium calamitatum primariæ causæ) remisione, promissáque gratia, imitari debet fidelis & prudens Magistratus vsitatam & laudabilem cõsuetudinem Rerumpub. tẽporibus bellicis. Quæ verò est illa? Cùm fama increbrescit, aliquem potentem Tyrannum, de quo suspicio est maleuolentiæ, in armis esse, exercitum collegisse, hærere in confinibus, nec in quos sit primùm impresionem facturus, satis constet, conscribere solent duces suos & capitaneos, qui obligati ipsis sunt, & cum his, quãdo de viribus commeatúq; ab vniuerso Senatu actum est, consultant, ecquibus rationibus impetenti forsan hosti obuiam ire, quo maturè à

finibus suis arceant, posʃint. Idem facimus, quãdo eo ipso tempore de munimentis publicis, de mœnibus, de aggeribus, bombardis, omnísque generis armaturis consilium capiendum est, vt compellatis ædilibus, architectis ac artificibus, quid adsit, quid desit, quanto ad ea, quæ adhuc desiderantur, tempore sumtúq; opus sit, disquiratur & cognoscatur, vt collatis viribus, ac diductis ab vniuersa summa impensis, quousque

Eccles 18. suffecturi simus bello, intelligamus. Ita me her-
Ruffin. in cle, ac non minori solicitudine, gliscentibus e-
praef. hist. iusmodi contagiosis morbis agere debet Magi-
Eccl. stratus, vt conuocatis medicis, summa diligẽtia circunspiciatur, quemadmodum post inuocationem Dei, illíque nobis & rebus nostris fideliter commẽdatis, quoad licet humana industria viribúsque venienti morbo occurramus, neq; illud, serò medicina paratur, cùm mala per longas conualuêre moras, expectemus: neque icti primùm sapiamus: quod non solùm extremæ vecordiæ & dementiæ fuerit, sed etiam contra fidelis & prudentis Magistratus officium, quod describendum suscepimus. Ad quam rem etsi maior prudentia rerúmque experientia requirantur, quàm ego in me agnoscam: tamen quoniam à nemine antehac (quod equidem sciam) hoc argumẽtum vniuersim tractatum, literísq; vulgatum est, si nihil aliud, saltem hoc efficiam, vt vel eruditiores excitem, vt quod in me desiderabunt, maiori ingenio compleãt: vel quibus

hæc cura exequenda demandabitur, quod verbis meis deerit, re ipsa illi perficiēt. Mihi satis est, si non egregiam operam, saltem præclaram voluntatem iuuandis hominibus probauisse. Neque enim talis hæc causa est, quæ elegāti oratione contenta sit, sed quæ prudenter & bene deliberata maturè in actum deducatur: quódque Plato de omni virtute dixit, inchoari eam ab intelligentia, qua quid agendum sit, disquiritur: terminari verò fortitudine, qua perficitur, id certè in hoc negotio vel in primis opus est.

Vnde igitur tandem exordium nobis ducendum? nimirum ab illis ipsis, quorum arbitrio pene cuncta, quæ deinceps statuenda sunt, gerentur & administrabuntur: hi autem conseruatores sanitatis vt nomine, ita & re erunt: non plurimi quidem numero (paucis enim præesse natura dedit, pluribus obtēperare) verùm duntaxat tres, ex toto ordine, partim Senatus, partim ciuium, prout maximè idonei ad eam rem videbuntur selecti, moribus integri, Deum timentes, rerum experientia cum mediocri literarum cognitione (si fieri potest) præditi, ciuibus chari, publicæ salutis studiosi, fideles, graues, nihil priuato cōmodo, gloriæ, amori, odio, inuidentiæ, vllíve perturbationi tribuentes. Si quid inciderit, cui pares esse non videbuntur, id ad totum referent Senatum, atque inde velut à communi fonte, quod facto opus est, postulabunt. Cogitabunt autem, & sibi certissimò per- *Conseruatores sanitatis.*

ſuadebunt, rationem tanti mali amouendi magna ex parte, poſt Dei opem, in ipſorum induſtria ac fide poſitum eſſe. Quemadmodum enim ad medicos pertinet, prouidere ne corpora ſingulorum incidant in peſtem ex aeris conſtitutione, ita conſeruatorum erit, prohibere vel tollere contagium publicum & externum. Porrò ſi cui nouum videatur quod dico, ſciat, nos hîc nouam quidem, ſed tamen prorſus vtilem, neceſſariámque politiæ partem moliri. Nec enim ſequitur, ſi noua ſit res quæpiam, ob id noxiam quoque eſſe; omnia ſiquidem quæ modò ſunt vetera, noua aliquando fuerunt: & quæ nunc noua cum conſilio tamen & ratione ſuſcipiuntur, inſtituuntúrque, diuturnitatem etiam feliciter accipere, & vetera fieri poſſunt. Cúmq; in aliis omnibus Reipub. partibus prudenter aliquot præfecti ſunt, qui earum curam gerant, vt ædiles ſtructuris, Tribuni militiæ, Scholarchæ ludo literario, ſeplaſiarum inſpectores pharmacis: præterea quando in omnibus rebus ſemper præſtet ordo ataxiæ, ſitq; Deus ipſe ordinis autor & propugnator, ſpero cordatos homines facilè conceſſuros, vt hanc nouitatem Reſpublicæ admittant. Etſi enim durior ab initio videbitur inſuetis, tamen vſu molleſcet & gratior reddetur. Nam vt veriſsimè dixit Balthaſar Caſtilionenſis, ſcriptor Italus: Vſus plus quàm ratio valet in introducendis nouis, & veteribus abolẽdis. Quid autem per nouum hunc Magiſtratum

De aulico lib. 1.

curari

curari velim: quíſq; ordo tum in perſonis, tum rebus omnibus conſtituendus ab illis ſit: præterea quomodo ſanis ſimul & ægris (quãtũ quidem ad publicam curam ſpectat, nam hîc ſingulis non conſulitur) rectiſsimè proſpiciatur, accuratè, planè atque diſtinctè, quaſi ab vniuerſo Senatu ad hoc compellatus (officij enim mei ratio ſemper id requirit) poſthac in medium afferre conabor, ac ſuis quæque capitibus ſingulatim complectar & tradam.

De Medicis, Chirurgis ac Pharmacopœis.

CAP. IV.



ONSTITVTI igitur hi, (quos diximus) conſeruatores, communi Senatus volũtate, aſſenſúque (ſi ſit opus) ciuium, primum omnium, quod ſibi procurandum ſtatuent, erit, vt de medicis, chirurgis ac pharmacopœis, quos apothecarios vulgò nominant, Reip. proſpiciant: quos ætate, fama, eruditione, experientia, morum honeſtate, virtute, Dei tandem timore maximè probatos & idoneos iudicauerint. Quales ſi fortè Reſp. non habeat, aut habere nequeat (difficilè enim

eſt, præſertim temporibus tam periculoſis, tales, támque perfectos inuenire) ſaltem in proximo gradu vt ſint, ac fide, induſtria, temperantia, vſúq; mediocri vt commendentur ac polleant, ſatagent. Hi verò ſalario honeſto conducti, & iureiurando, ne quam diſcedendi occaſionem (vt eſt humana imbecillitas) ob ingraueſcentis fortè mali horrorem, captent, Reipub. obſtricti, ſingulatim vnuſquiſque eorum, quid ſui ſit officij moneri debent, videlicet vt viriliter mortis timore excuſſo, ad fidem, operámque ſuam Deo & hominibus approbandam gnauiter incumbant: Deum inſpectorem & iudicem eſſe eorum quæ agunt, quantumuis vulgus artis imperitũ latere poſsint. Si quid per errorem fraudémve commiſerint, impunitum non fore: ſin verò ſedulò ac fideliter in ſuo officio verſati fuerint, lõgè ampliorem mercedem poſt hanc vitam accepturos, quàm hîc ab hominibus perſolui queat.
Pſal.40. Bene, inquit Pſalmiſta, illi, qui fideliter ægrotos
Eccl.7. tractat: nam quo tempore ipſus aduerſi aliquid patietur, Dominus viciſsim ei auxilium feret.

Medicus autem priuatim per Conſeruatores admonebitur, vt ſæpe cogitet, quantam omniũ ſpem in ſe recipiat, qua ipſum, tanquam Deum
Hipp. de de- aliquem è cælo in terram miſſum ſuſpecturi &
center orna- obſeruaturi ſint ciues omnes. Item, quàm ma-
tu. Item in gnam gratiam initurus ſit apud omnium ordi-
lib. de prac. num homines, qui ipſius ope feliciter vſi ac ſer-
med. uati fuerint: quámque præclaram famam de ſe

ſit excitaturus apud alios, quæ ne quidem poſt mortem ſit extinguenda. Etſi enim quorundam ingratitudo magna eſt, præſertim erga medicos: tamen complures tam beneficos futuros, vt ſua liberalitate affatim compenſent, quod alij auaritia facere neglexerunt. Ingenuorum virorum eſſe, diligentiorem rationem officij ſui habere, quàm lucri, ac magis ſalutem ciuium, (quò omnia ſua ſtudia referre decet medicum Chriſtianum) quàm vel honores, vel opes quærere & ſpectare. Proinde facilem ac humanum ſe præbeat erga omnes, pauperibus non ſolùm operam, ſed etiam opem pro facultatibus ſuis afferat: à ditioribus verò ſalarium oblatum ea modeſtia & hilaritate accipiat, vt hominum cauſa munera, non homines propter munera amare videatur: ambitionem enim, habendíque ſceleratam cupidinem ſophiſtas δοξοσόφυς καὶ καινοδόξυς Theſſalos ac Paracelſos, non ſuæ ſuorúmque ciuiũ ſalutis ſtudioſos decere. Quin potiùs noctе diéque meditabitur, vt quicquid ex vſu ſit, quo arte ſua poſsit à tam periculoſo hoſte ſuæ fidei & curæ commiſſos præſeruare vel curare, id in timore Dei maturè & prudenter adhibeat, vt punctum illud, citò, tutò, iucundè (in quo vniuerſum ſapientis piíque medici officiũ verſatur) quàm proximè attingat.

Chirurgi. Chirurgi verò admoniti ſint, vt ſe exhibeant promtos, ac in omnibus circumſpectos. Item, vt ſua conſilia cum medicis communicent, atque

ex illorum præſcripto omnia agant. Etſi enim vitio temporum & hominum ſeparata modò ſit profeſsio, quæ olim erat vna: ſitq́ hæc pars, quę chirurgia appellatur, ad ipſos trãslata: tamē multa in ea difficilia eſſe ſciunt, quæ niſi à medicis eruditis diſcãt, eorúmque conſilio agant, nõ ſatis poſſunt ſtationem ſuam tueri, dignitatíque artis cum ipſorum ignominia ſæpe multum detrahunt, negligentia verò & imperitia apud alios traducuntur & diffamantur. Perſuaſi igitur ſint, non eſſe inhoneſtum, neque indecorũ, quod Solon de ſe ipſo dicebat, γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος, & quod Hipp. inquit: In præſentis rei anguſtia, imperitia tenebras offun-

Hipp. de precept.

» dente alios quoque accerſendos eſſe, quo ex cõ-
» muni conſideratione ægri cauſa inquiratur &
» cognoſcatur, illíque cooperatores fiant ad auxi-
» lij ferendi facultatem. Nam (vt idem ait) in affli-
» ctionis aſsiduitate, augeſcente affectione, ob cõ-
» ſilij inopiam plurima ad rem præſentem effugiunt. Ad manum autem habeant chirurgi noſtri materiam vnguentis, emplaſtris, epithematis (nam hiſce inſtrumentis ars ipſorum ferè in hoc morbo abſoluitur) conficiendis idoneam. Nec deſint lanceolæ ad tundendam venam aptæ, nec raſoria ad ſecandũm, nec ferrum ad vrendum, ſi qui eruperint (quod plerunque fit) carbunculos vel apoſtemata.

Pharmacopœi.

Pharmacopœus demum inſtructus ſit, vt omnis generis neceſſaria remedia tam ſimplicia,

quàm compoſita, antidota, prophylactica, &c. in promtu habeat, ac ſecundum medicorum præſcriptum pro vniuſcuiuſque facultate fideliter adminiſtret, pretióque iuſto diuendat. Cogitet omnem ferè & medici & chirurgi conſilij actioniſque rationem ac profectum à ſe pendere. Quid enim proſit artificiosè induſtriéque agere illos, ſi hic infideliter ac oſcitanter ſuppeditet ea, quibus ars atque opera omnis cum laude perficienda ſit? Non exiſtimet ſe ad prædandum occaſionem nactum eſſe, cùm ciues extrema neceſſitate coactos ad ipſius officinam cateruatim concurrere videt: ſed potiùs velut coquum ſe eſſe (quo modo tamen nihil volo detractum honori ipſius, cùm nec Galenus medicorum dignitati quicquam detrahit, quādo artem ſuam cum reſtauratrice antiquarum ædium comparat) qui plurimorum deſideria & famem ſedare ſubleuaréque debeat: vel tāquam œconomum in magni cuiuſdam Principis aula, qui toti familiæ pro diuerſitate officij, ætatis, dignitatíſq; ex mandato domini cibum potúmque ſubminiſtret. Quamobrem quod recipit pretium, non lucrum, ſed recompenſationem impendij & laboris reputet. Qui enim quęſtum captant, non ſolent iuſtitiam, ſed πλεονεξίαν ſectari, neque ciuium ſuorum ſalutem, ſed ſuam inexplebilem cupiditatem curant. Quales ſunt circumforanei illi medicaſtri, atque cum multorum hominum exitio empiriatri Iudæi, Paracelſiſtæ, Al- *Medicaſtri empiriatri.*

chymiſtæ, phædrones, id eſt, Thraſones Theſſalici, homines (paucis exceptis) improbi ac nefarij, qui non tantùm artis pulcherrimæ & diuinæ (ſic enim à D. Paulo antiqua medicina vocatur) finem cõturbant, atque corrumpunt, ſed etiam præcepta eius miſerè conſpurcant, deprauántque, & quod his turpius eſt, manifeſtis præſtigiis infamant. Quos nimia Principum & Magiſtratuũ indulgentia ferri, iurè dolent & deteſtantur pij & eruditi medici. Cùm enim medicina ſit ars planè ex intimis naturæ penetralibus eruta, & cauſas principiáque ſua in phyſiologia requirat, quæ paucis Principibus nota eſt: item cùm amuſi illi, vel ſaltem perperam inſtituti circulatores ſæpenumerò multorum ſcriptis commẽdationibus bullati, nòn minùs impudenter, quàm cõfidenter ſe ſuáque iactare conſueuerunt, facilè decipiuntur, qui natura mitiores ſunt Magiſtratus, præſertim inſigni aliqua neceſsitate vrgente, vt aurem locúmque præbeant Sycophantis. Quod tamen, ſi prudenter agere velint, non facerent, neque tam temerè inhoneſtos homines honeſtis teſtimoniis ſuis ornarent. Hiſce enim ſigillatis bullis, mirum quàm vulgus, illíque adeo ipſi infatuentur, inſoleſcant, & plurimos turpiter decipiant. Vtinam ergo, quod boni medici omnes optant, cenſura publica extet, quæ iſtorum capitalem iactantiam puniret! aut ſaltem coerceret, ne tam facilè medicos ſe mẽtiri, protinúſque tam ſublimem artem exercere auderẽt!

vtinam lege cautum sit, ne quis pharmaca, præsertim cathartica, nisi publica authoritate approbatus sit, alicui propinare permittatur! Deus bone, quantis fraudibus, quantis erroribus, quantísque periculis, ne dicam occultis cædibus humanum genus liberaretur! vtinam, inquam, illum diem videamus, quo hoc Augiæ stabulum aliquando expurgetur! Magno Reipub. commodo in eos animaduertitur, qui improbas merces exponunt: puniuntur qui vitiosos pisces aut carnes venditant: præterea ne cerdo quidem in vllo mechanici artificij genere ad publicè arte sua vtendum admittitur, nisi disciplinæ legitimo tēpore exacto, se magistris probare posśit: & impunè ferendi sunt illi, qui res eas, quibus publica priuatáque salus consistit, aut labefactata restituitur, pro libidine, in occulto stabulo, vbi hospes leno, artifex prostibulum, minister fornicarius sit, tractant, maláque fide omnia agunt, valetudinem hominum temerè & ignoranter prostituunt & produnt, ac (vt summatim dicam) mortem pro vita nefando scelere administrant? Quæ pestis hac vna Reip. pestilētior accidere posśit? At desino pluribus sacrilegam turbam conuellere: quia bona spes est, nostros, quos instituimus, cōseruatores, tam tristi rerum statu, in quo alioqui multa temerè fieri solent, minimè negligenter acturos, neque commissuros vllo modo, quin funestos istos carnifices, ac iniquas Harpyias strenuè abigant, suósq;

quos ſemel maturo conſilio receperunt, medicos, quos honeſtis teſtimoniis cõmendatos habent, quos denique virtute, fidelitate, temperãtia, pietatéque & literarum cognitione prædiτos per Dei gratiam nacti ſunt, humaniter habeant, ac liberalitatis fauoríſque omni genere proſequantur & confirment.

Marſil. Ficin. de Epid. cap. 2.

Poſtremò his non licebit ad alios accedere ægros, quàm qui peſtilentia affecti fuerint: quod etiam de aliis ad hanc rem publicè conductis miniſtris (vt omnis occaſio contagij vbique vitetur) ſtatuendum eſt. Nam cùm fieri poſsit, vt infectum aërem in veſtimentis ſecum adferant, qui tamen propter naturę validam conſtitutionem, vel pharmaca, quibus vſi ſint, prophylactica, vel quòd iam dudum antè eiuſmodi aeri aſſueuerint, ipſos nondum inficiat, ad inſuetos tamen, & iam debiles morbo, cuilibétque iniuriæ obnoxios delatus, facilimè eos offendat, quæ (malum) imprudentia fuerit, à quo remedium expectes, ab eo te haurire venenum? At quale venenũ? nempe quod vel ſolo halitu, vel, quod magis mirum, ſolo arteriarum tranſpiratu receptum, præſens periculum vniuerſæ aliquãdo familiæ, imò vniuerſæ ciuitati ac toti regioni afferat. Vix enim dici poteſt, quantopere aeris circumfuſi corruptela & virulenta qualitas tenaciter adhæreat veſtibus, præſertim laneis, & ſpiritus inter anhelandum vitiet, occultáque quaſi flamma venas arteriáſque, vitæ inſtrumenta accendat.

accendat. Atque hæc de corporis medicis hucuſque dicta ſint. Pergamus deinceps ad Eccleſiæ miniſtros, qui animarum ſalutem curant.

De Miniſtris Eccleſiaſticis.

CAPVT V.

ELECTIS igitur ac probatis, qui corporis curam gerant, diſpiciendum deinde de ſpiritualibus miniſtris, qui ægrotos fide in Deum inſtruant, ſpéque ſalubri erigant, & animarum ſalutis rationem habeant: quos ita ſeligent Conſeruatores in ſingulis parochiis, vt nõ quoſvis obuios ad rem tantam aſciſcant, ſed quos pietati, ſanctimoniæ, ſobrietati, caſtitati, ſingulariter addictos cognouerint. Nam qui verè pietatis hactenus negligentes fuerint, non poterunt quenquã vtiliter ad eam adhortari. Intemperantes autẽ magnam temporis partem Baccho tribuent, ac ſibi ipſis, nedum aliis inutiles erunt: præſertim quum hæc opinio quorundam animis inſideat, vt ebrietatem & vini copiam egregium antidotum huic malo eſſe putent. De incontinentibus verò periculum erit, cùm frequentes occaſiones impunè peccandi iſtis temporibus ſeſe offerant,

ne quid eiusmodi flagitij admittant, propter quod Deus magis irritatus Reipub. pœnam augeat. si sciens non prohibuerit. Deinde etiam minimè auaros esse oportet: nam hoc rerum statu non aliter quàm in bello, aut in incendiis, multa patent prædæ: cuius facti ratione quinq; suspẽdio punitos vidi Patauij, anno 1556, post quorũ supplicium morbus breui cessabat, quasi ira Dei hac perfidi maleficij punitione remissa fuisset. Sint præterea viri integri, cordati, eruditione mediocri, sed non mediocri charitate præditi: sint circunspecti, non temerarij: cogiténtque se quotidie mortem ante oculos habere. Quamobrem in vno Deo spem fiduciámque suam ponant, ab eóq; cæleste potiùs, quàm terrestre præmium suorum laborum expectent.

Quòd si fortè inter ordinarios ministros tales non inueniantur, è reliquo populo eligendi sunt, qui proximos modò dictarum virtutum gradus attingant. Nam in hac calamitosa tempestate non semper perfectissima quæque se offerunt. Ergo quod dici solet, vt possumus, quando vt volumus non licet.

Tandem autem cùm electi fuerint, quos cõseruatores idoneos, & cuique parochiæ sufficiẽtes iudicauerint, nullo modo ferendum est, vt ad alios accedant, quàm qui pestilentia affecti ipsorum operam requirant. Dixi enim antea, & adhuc dico, non modò infestantem aerem externum & communem, sed etiam contagiosos

halitus

halitus ac pestiferas respirationes, quæ per custodes, per assidentes, pérque Ecclesiæ ministros huc illuc cursitantes, atque infectis, frequenter etiam mortuis adstantes, contrahuntur, & postea sanis ægrísque aliis communicantur, maximoperè esse refugiendas. Quod cùm quotidiana experientia edoceamur, atque adeo verũ esse conuincamur, cauendum nobis est omnibus modis, ne hanc tãti mali causam, ceteris sedulo remotis, relinquamus. His addas licet, quod non minùs sępe experimur, plerosque etiam ægros (loquor de non pestiferis) etsi fortè talium ministrorum consuetudine non fuerint infecti, auersaturos tamen eorum præsentiam propter metum contagij. Vnde porrò id quoque incommodi sequetur, vt vel à domesticis, qui vt plurimùm sunt ad hanc rem inepti, quamcunque consolationem malint recipere, vel soli mori, quàm duplex subire periculum, aut solennia Ecclesiæ Sacramenta vsurpare. Quod vtrùm aliâs quoque piè, vel minùs fiat, etsi hîc parum attinet disputare, tamen oblata occasione, ponam diuersarum partium quædam argumenta, quibus sacrarum rerum studiosi ad inclitæ cõsuetudinis maiorum nostrorum rationem examinandam excitentur, & quousque probari possit, & ægrotis necessaria sit, ipsi constituant: ne quis me putet piis & peritis Theologis præiudicaré vel præscribere aliquid velle.

De Cœna Domini priuata.

Qui igitur omitti posse vel debere apud æ-

gros Cœnæ Eucharist. vsum priuatum censent, suadent, vt quicquid eiusmodi rituum fieri debeat, tempestiuè & in publico cœtu fiat, vt in extrema illa necessitate non sit opus hac solicitudine, quam aiunt proficisci partim ab imperitia vulgi, partim à diffidentia, & superstitionis specie non carere. Deinde cùm inter cetera Eucharistia sit quasi quædam festiua & solennis cõfessio & concelebratio mortis & beneficiorũ Christi, non posse hæc commodè & decenter à semiuiuis & mortis timore perculsis fieri. Tertiò, quamuis etiam institutam ad confirmandam fidem non dubitant: tamen hoc statu constitutis alia superesse remedia, videlicet annũtiationem verbi, cuius sit eadem facultas, idémq; effectus, qui est Sacramẽtorum. Quartò cùm de ægrotantium pœnitentia & probatione, præsertim qui hoc lethali morbo laborant, Ecclesia sæpe incerta sit, quòd nesciat an potiùs metu mortis, vel fiducia operis (vt vocant) operati, vel cõsuetudine, quàm recta voluntate ad hoc permoueantur (quæ ratio quoque in maleficis quibusdã in locis obseruari solet) tutiùs omitti, quàm dari existimant. Etsi enim singuli non teneantur alios, sed se ipsos, secundum Apostoli præceptum, explorare: Ecclesiam tamen nihil temerè agere debere, sed diligẽter circumspicere, quid, quis, vbi, queîs cum sociis, cur, quomodo, quã-do sacra administranda sint, ne rosas & margaritas porcis obiiciat, & sanctum det canibus.

Quintò

Quintò, neque ipsis sumentibus semper hac ratione consuli, sed sępe pro salute, damnationem: pro vita iudicium illis administrari, non solùm teste Apostolo, sed etiam Hippocrate, qui de insalubribus vel impuris corporibus dixit, quantò magis nutriantur, tantò magis lædi. Quod Plato & Galenus similiter de impuris animis referũt, quib⁹ si salutares & nutrientes sermones offeras, id est, vitiorum virtutúmq; moneas, nõ solùm non meliores, sed etiam deteriores fiunt. Quamobrem prudentes medici, quãdo de morbo viribúsque, ac proinde de futuro euentu dubitant, tutiora leuioráq; remedia consectari solent, non ea quæ in discrimen adducant. Postremò ne formam quidem, quæ cuiq; rei esse suum dare solet, in priuata illa & clinica cœna obseruari dictitant. Christum enim Apostolis, id est, præsenti & in vnum collectæ Ecclesiæ, non vni seorsum distribuisse: neq; accipe, sed accipite: neque manduca, sed mãducate: deniq; nõ bibe, sed bibite ex hoc omnes, dixisse. Qua de causa D. Paulus in repetitione institutionis Christi iussit non vnumquemque suam Cœnam vsurpare, sed alterum alteros expectare, vt verè σύναξις dici poßit, & fractione participationéque vnius panis viua charitatis coitio, in Christum & proximos præsentésque conuiuas concorporatio fieri demonstretur. Atq; hæc vni parti adeo probantur, vt nunquam nisi in publico cœtu exhiberi hoc Sacramentum cuiquam velint. Nam

quòd nonnullis videatur, ſicut verbum paſsim & ſolis quoq; ſeu ægris, ſeu ſanis proponi & annuntiari poteſt, ita quoque Sacramentum hoc συνάξεως priuatim vni poſſe rectè adminiſtrari, exiſtimant iniquam eſſe comparationem. Singula enim miniſterij genera ſuum habere morē, & quaſi formam, ſine qua non poſsint eſſe, quod dicuntur, quamuis in eundem tendant finem omnia. Quid quod ne quidem propriè pars miniſterij ſit, apud ægros vel alios priuatim extra cœtum verbum prælegi, tractari, & eo alios moueri, inſtitui & conſolari. Hoc enim à quibuſvis, etiam à mulieribus, quibus tamē publicum miniſterium non permittitur, poſſe & ſolere fieri. Quare diſsimilitudinem hîc eſſe putant, & cauſam ſuam adhuc conſiſtere, videlicet Sacramenti Euchariſtici vſum non debere eſſe priuatum, ſed publicum & communem multis.

Contrà verò alij hunc priuatæ Cœnæ Euch. vſum & conſuetudinem retinendam contendunt: ſi non quouis tempore, ſaltem cum tota Eccleſia eam in templo vſurpat. Tametſi enim Chriſtus (aiunt) id fortè non fecerit, quippe qui vnicam tantùm Cœnam cum ſuis Apoſtolis celebrârit, hinc tamen non ſequi, vel minùs licere, vel Apoſtolos, conſecutámque Eccleſiam nō feciſſe. Poſſe enim abſentes cauſis legitimis, vt vel morbo, vel ſenio, vel aliis occaſionibus impediri, quò minùs in publicum prodire queant. Hinc veteres etiam in orthodoxa Eccleſia tam ſanis eiuſmodi, quàm ægris, illis quidem tanquā

Symbolum pacis & conformis fidei, his verò quasi profecturis viaticũ impartitos esse. Nam cùm Ecclesia sit vnum & vnitum, integrúmque quasi quoddam corpus, Cœnáque illa toti Ecclesiæ apparata sit, non esse causam, quæ eam mẽbris aliquibus ob impedimenta quædam absentibus iurè deneget. Quod autem dicitur, Ecclesiam incertam esse de eiusmodi hominum fide & voluntate, quamuis hoc fortè in illis locũ habere posſit, quos antea vitam planè dissolutam duxisse, vel Ecclesiæ ignotos esse constat: tamen axioma illud: Ecclesia de occultis non iudicat, quod hactenus vsitatum fuit, retinendum esse, & quicunque vno ore nobiscum confiteantur Christum, & peccatorum se pœnitere verbis nõ obscuris testentur, inserti per baptismum communi corpori externi cœtus, de his bene sperare, ac eos quoque externorum Ecclesiæ beneficiorum participes facere oportere. Neque enim tantum periculum subest, inquiunt, quantum aliis videtur, neque venenum pro remedio hîc magis porrigi petẽtibus, quàm ibi corpore præsentibus sanis, & in cœtu congregatis. Neq; tam spectandum quibus detur (modò non sint manifesti religionis hostes, aut vi morbi extra rationis terminos constituti) quàm quid detur. Præcipuum enim huius Sacramenti finem esse, vt Christus de promisſione sua, & beneficiis proprio sanguine (quem ad asserendos in libertatẽ homines in ara illa sublimi nostræ redemtionis

effudit) acquiſitis certos nos, adeóque participes faciat, fide & ſpe armét, mutuæ charitatis vinculo inter ſe Chriſtianos colligat, ac quodã quaſi incendio amoris inflammet. Ad hæc, cùm Sacramenta verbi pars ſint, & quaſi verba quędam viſibilia, quæ etiam ſecundum aliorum ſententiam non aliud, etſi alia ratione, quàm verbum ipſum prædicatum & audibile afferant, non ſatis cauſæ ſubeſſe dicũt, cur illa magis, quàm hoc cuiquam, qui huc vſque, quod ad externam cõuerſationem attinet, fratres noſtri fuerunt, ſubtrahamus. Quis enim corda iudicet pręter vnũ Deũ? Si paulò liberiùs vixerũt antè, nónne fieri poteſt, vt vel breuis commonefactio miniſtri, vel leuis Spiritus ſancti aſpiratio igniculum aliquẽ in iis excitet, quem fouere quouis modo cũ pietate non pugnãte minimè ſit inutile? Ecquomodo, obſecro te, non ſit alienum à Chriſtiana prudentia, illos gratiarum actione & commemoratione mortis Domini priuare, qui ſe in cor de ſuo impelli ſentiant, vt cum Eccleſia, id eſt, corpore ſuo, etſi ſitu loci ab eodẽ abſentes eandẽ concelebrent, eiuſdem ſe membrum eſſe velle declarent, denique diſplicere ſibi anteactam vitam coram aliis teſtari velint? Poſtremò adeo hi in hanc ſententiam propendẽt, vt nullibi rectiùs Cœnam Dominicam peragi putent, quàm apud ægros. Hîc enim verè retineri formã eius, qua primùm fuerit inchoata, nempe inſtanti morte, vel alia vrgenti difficultate, præcedente

acri

acri admonitione, comitãte denique viua fide, ſpe ſalutari, votis ardentibus, animóq; flagranti, id eſt, prorſus ſeriò. Quæ ratio vſque adeo quibuſdam placuit, vt nullam aptiorẽ Miſſæ, id eſt, abuſiuæ Cœnæ Dominicæ reformationẽ, quàm ad hanc regulam fieri poſſe exiſtiment.

Hæc obiter hîc dixiſſe volui, quæ licet parùm huc ſpectent, & quaſi extra cauſam dicta ſint, egóque in medio relinquam Dominis meis Theologis & Eccleſiarum gubernatoribus diſcernenda: id tamen monitos velim ægros noſtros, vt quod ad hanc rem attinet, ſecuri ſint, miniméque animi angantur, ſi fortè vel morbi ſæuitia, vel aliis de cauſis, huius Sacramenti, quod ad externam ceremoniam attinet, eo tempore participes fieri non poſsint. Nam ſi poeta ille Ethnicus ſatis iudicauit eſſe, καδδύναμιν ἔρδειν ἱερ' ἀθανάτοισι θεοῖσι, cur non potiùs nos Chriſtiani, qui ab omni ſeruitute per Filium Dei liberati ſumus, idem nobis perſuadebimus, Deúmq; qui ſcrutatur renes & corda, & non tam factum, quàm animum requirit, æquè per Spiritũ ſuum affuturum nobis credemus, quàm ſi ipſo opere ritum omnem impleuiſſemus? Hæc eſt enim illa ſpiritualis manducatio vel communio, quam maiores etiam noſtri animo & fide fieri, neque minùs nos participes reddere ſalutiferi corporis Chriſti, quàm qui externo ritu vterẽtur, credebant, ſi modò conſtanti fide dicere poſsimus: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum 1 Cor. 2.

meum,ſed tantùm dic verbum, & ſanabitur anima mea. Dominus ipſe apud Iohann.ait: Ego ſteti ante fores, & pulſaui, ſi quis vocem meam audierit, & aperuerit ianuam, ad huncingrediar,& cum eo cœnam ſumam,& ille mecũ &c.

De ciuit. Dei. li. 21. cap. 25.

EtD. Auguſtinus nos iubet credere,& credendo ait nos comediſſe. Itẽ alibi inquit:qui eſt in corporis Chriſti vnitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis Sacramentum fideles communicantes de altari ſumere conſueuerunt,ipſe verò dicendus eſt manducare corpus Chriſti,& bibere ſanguinẽ Chriſti. Hoc ergo fideles ſibi perſuadeant, ſi terrenã partem Sacramentorum legitima ratione adipiſci non poſſunt,abundè ſatisfacere poſſe cæleſtem,quam quouis tempore per fidem conſequi difficilè non eſt. Idémq; affirmare auſim de conſolatione confirmationéq;,quæ ægrotis per Eccleſiæ miniſtros verbis fieri ſolet, ſufficere etiã, cùm aliter habere non queat, ſi à priuatis perſonis adhibeantur. Quod quò minùs diligenter fiat,in cauſa eſt turpis vulgi Chriſtianorum inertia,qui ſemper diſcunt, & nunquam ad veritatis cognitionem perueniũt. Tam enim oſcitãter conciones publicas plerique auſcultant, vt ne tantum quidem inde referant fructus, quo vel ſe ipſos, vel domeſticos ſuos in extrema illa neceſsitate morborum vel mortis, aliqua ſaltẽ ex parte de Dei voluntate inſtruere,aut piis con ſolationibus confirmare poſsint. Qui certè hoc

ſcire

ſcire debebant, vt pueris in ſchola non licet otioſos auditores eſſe: ita ipſos quoque decere, non velut ad ſpectacula circulatorum in templum conuenire, ſed tãquam in eum locum, vbi & ipſe Filius Dei Chriſtus Ieſus præſideat, & Angeli auditores obſeruent, tanquã paulò pòſt fructus diligentiæ, ab vnoquoque requiſituri, & negligentes ſeuerè caſtigaturi. Quæſo ſi hæc oculis cerneremus, nónne ſeriò, & haudquaquam ſocorditer acturos nos promitteremus? In vitis patrum refertur, religioſum quendam virum, cùm aliquando attẽtiùs obſeruaret pſallentes de more monachos, vidiſſe cacodæmones his quidem in fauces irrepere, ac ad tuſsiendum cogere, aliis in nares illabi, ſternutationémque ciêre, quibuſdam aures ingredi & vellicare, nónnullis oculos obturare, & ſomnum immittere. Quæ etſi fabuloſa ſunt: tamen euidenter ſignificant, ſupinam noſtram negligentiam & ignauiam à Diabolo ſtupiditatis & ſegnitiei patre proficiſci, & nefariam eſſe incuriam. Verùm plura de his, quàm fortè debui. Quare nunc redeo ad negotium propoſitum.

De ordine inter ciues constituendo, & omittendis publicis conuentibus.

CAP. VI.



ONSTITVENDVS quoque est ordo inter ciues, vt publicos conuentus, spectacula, conuiuia, sympoſia, nuptias, choreas, nũdinas, ſcholas, templa, balnea publica vitent. Nam præterquam quòd in pleriſque horum grauiter non in corpus ſolùm, verùm etiam in animam peccatur; ſubeſt quoque non leue periculum contrahendi diſſeminandíque contagij. Propterea ſuadẽt viri prudentes, vt eiuſmodi temporibus rariſsimè in hominum frequentia verſemur. Nemo enim eſt tam imperitus, quin ſciat, vbi ſine ratione promiſcuè omnia fiunt, venenum latiſsimè ſpargi, & plurimos inficere. Vt cùm cellæ tabernæq́ꝫ publicæ, ad quas compotãdum itur, indies omnibus patent: forum item, macellũ, loca publica, in quibus lauantur lineamenta, & varia hominum turba commiſceri ſolet, frequentantur. Hîc igitur leges rogandæ ſunt conſeruatoribus, quibus eiuſmodi congreſſus inhibeãtur, vel in diuerſa loca & tempora diſtrahantur.

Ac primùm de cœtu Ecclesiastico monendũ est illud, vt ne caterùatim, vel ἀϑρόως ingrediã-tur, egrediantúrq; , neq; copiosè in vnum templum, vbi arctiùs ac presśiùs sedere cogantur, confluant: præsertim vbi plura in vna ciuitate huic negotio loca idonea sunt, in quibus diuinæ ceremoniæ, id est, verbi Dei explicatio, & Sacramentorum administratio fieri queant. Quãuis enim hæc fortè quibusdam minuta videbuntur & exigui momenti, tamen nihil prætermittendum est, quod aliqua saltem ratione ad auertẽdum contagij periculum poſsit conducere, & quod Cicero dixit, cum hominibus consulere, humanæq; societati seruire debemus, nihil esse cælandum, quid commoditatis, quid copiæ adsit, id vel in primis isto tempore locum habet. *De ordine in Eccl. obseruando.*

Quòd si connubia ineunda fuerint (quanquã cui placeant eiusmodi contractus tali rerum statu, in quo si vnquam aliâs, consiliũ Apostoli valere deberet, vt propter instantem neceſsitatem maneãt homines cælibes) ea quàm pauciſsimo hominum numero, & absque omnì pompa peragantur. Ebrietas autem & ingurgitationes, choreæ, ac aliæ non necessariæ, vel potiùs periculosæ, perniciosǽq; ceremoniæ, quę plerunque adhiberi solent, longæ mittendæ illæ quidem, ne (vt dici solet) finis gaudij tristitia euadat, postridiéq; defleatur, quod pridie admissum est erroris. Pręcipuè verò ebrietas eiusmodi est vitiũ, quod non modò Deum grauiter offendit, vbi *De nuptiis.* *Tob. 2.* *Amos. 8.* *1 Macha. 1.* *Prouer. 14.*

Impunita fertur, sed etiam alia teterrima peccata, vt blasphemiam, periuria, obscœnitates, iniurias, homicidia, incestos, adulteria, fornicationes (quæ plerunque omnia ex vna illa hydra Lernæa oriri solent, & iram Dei contra vniuersam gentem prouocant) secum trahit. Taceo, quibus est illa quotidiana comessandi cõsuetudo familiaris, plerunque in hoc malum procliuiores, ac curatu quoque difficiliores esse. De Socrate referunt historiæ, propterea quòd temperanter vixerit, semper incorrupta valetudine vsum esse, etsi in multis grauibus pestilentiis (quæ Athenis grassatæ sunt) degeret. Talis enim (autoribus Aristotele & Galeno) in puris corporibus cõstitutio est, vt rarò afficiantur peste, vel quamuis ea affecta fuerint, tamen non pereant. Contrà autem non paucorum exemplis cõstat, qui recens peste correpti, cùm vino se copiosè impleuissent, in maximum discrimen & præsentem mortem miserabiliter deuenisse. Vtilissimũ enim est hîc, si vnquam aliâs, quod Galenus ait, 1 de feb. ἀπέριττον καὶ εὔπνουν εἶναι τὸ σῶμα. Quamobrem non solùm officij Magistratus est, legem aduersus eiusmodi helluones statuere, ac pœnã acrem irrogare, sed ipsi etiam, si Christiani, aut potiùs non prorsus pagani videri volunt, cauere debent, ne seueram D. Pauli sententiam incurrant, qua ebriacos regno Dei excludendos pronuntiatur: meminerintque perpetuò mandati Christi, dum ait: Cauete ne grauentur corpora

Marsil. Ficin. de Epidem. cap. 24.

Leonarth. Fuchs. de medic. morb. li. 4.

Alex. Aphrod. 1 problem. 83.

Ebrietatis detestatio.

vestra

vestra crapula & ebrietate. Cui mādato qui tam securè audent resistere, vt rarò sobrij sint, & ad similem ἀσωτίαν alios non desinant inuitare, quomodo non planè Antichristi sint, non possum iudicare. Quid enim magis Antichristianū est, quàm Christi præceptum directè reiicere: iubere quod Christus prohibuerit? Ad id hortari, quod Christus dissuaserit? Verùm nolo hîc illā camarinam latiùs mouere, cùm non tam argumentis, quàm legibus coerceri huiusmodi scandala oporteat.

De tripudiis & choreis.

Choreæ verò illæ & tripudia, quæ adeo intempestiuè fieri solent, nempe mox à cibo, dapibus mensisq; remotis (sic enim plerique sibi persuaserunt, si nemo saltat sobrius, nisi sit insanus, admodum sapienter se facere, si ebrij, id est, vino cibóque infarcti, ac tantùm non distenti id agant) nulli magis, quàm ipsis saltatoribus noxiæ sunt, aggregantibus scilicet copiam crudorum humorum, quæ subinde graues venarum obstructiones, & putredinem, ex qua tandem malignæ pestilentésque febres nasci solent, facilè pariunt. Atque hinc Leonarthus Fuchsius Germaniæ nostræ medicus excellentissimus ipsa experientia deprehendisse se ait, multos dum choreas agerent, infectos hac lue mortem obiisse.

De balneis publicis.

Deinde balnea quoque publica multis de caussis vitanda dixi: quæ istiusmodi tempore tanquam præsens & lethifera memphitis sunt:

quippe cùm vaporoſo illo aere multi ac varij homines promiſcuè congregari ſoleant: quorum alij paulò antè iſtoc morbo infecti fuerunt, & nunc reliquias ſudore euacuare ſtudent: alij medicamentis antidotíſque diuerſis delibati, ſuos ſinguli afferunt tetros & funeſtos halitus, quibus aërem illum concluſum implent, qui aër ab illis, qui præſtò ſunt, & corporibus iam calore rarefactis, facillimè tum ore ac naribus, tum poris cutis adapertis hauritur, & ſubinde ad cor, vel cerebrum, vel iecur per arterias raptus celerrimè contagione poteſt inficere.

De ſcholis. De ludis etiā literariis ac ſcholis, in quas pueri conueniunt, quid dicam aliud, quàm omnino conſultum & propè neceſſarium videri, ſi vitare diſſeminationem veneni volumus, vt illæ quæ in commodiorem locum deduci non poſſunt, ad tempus claudantur, & potiùs quantulocunque cum fructu iuuentus domi erudiatur, & priuatis lectionibus vacet, quàm cum tanto diſcrimine turmatim coeat: ſolet enim puerorum & adoleſcentum ætas, vtpote vorax, intemperans, mollis, rara, improuidáque huic infortunio magis eſſe obnoxia, quàm illa quæ eſt grandior & prouectior. Quamobrem ſummus medicorū Arabum Rhazes, & poſt illum Franciſcus Valleriola Arelatenſis medicus cōſulunt, vt infantes ac pueri maturè ex locis peſtiferis in aliam regionem transferantur, vbi de infecto aere non ſit illis periculum metuendum.

Simi-

Similiter iudicari poteſt de celebribus & anniuerſariis nundinis: item de deductionibus funerum, de quibus poſtea ſuo loco agetur amplius. *De nundinis anniuerſariis.*

Huic verò capiti etiam hoc addēt conſeruatores, ac seriò cum vniuerſo Magiſtratu deliberabunt, videlicet vtrum præſtet quoſdam pauperes, qui victum oſtiatim mendicando quærunt, & propter inopem vitam quibuſvis veſcētes huic malo plus quàm alij homines obnoxij ſunt, omnes vicos, ac præcipuè eorum ædes, in quibus funera ſunt, pertentant, circumeunt, omnibúſque occurſant (ſæua enim neceſsitas tuguriolis ſuis eos extrudit) vel aliò dimittere, vel domi ſumtu Reip. tantiſper ſuſtinere, donec malum remiſerit: vt hac ratione circumvagādi, & recipiendi, diſpergendíque contagij occaſio eis adimatur. Vix enim dici poteſt, quàm præſens periculum vniuerſæ ciuitati inde exiſtat. Qua de cauſa vidi in ampliſsima vrbe Patauina, non tenuioribus modò, ſed etiam mediocribus, qui vel cum pollutis verſati erant, vel ipſi fuerāt infecti, eo modo in ſingulos dies victum ſuppeditari ſumtu publico, vt tantò faciliùs intra priuatos parietes coerceri poſſent. Atque optandum eſſet omnibus votis, nō iſtis ſolùm temporibus, quibus ſingularis neceſsitas id requirit, ſed conſtanter & ſemper ab omnibus Rebuſp. operam dari, vt inopes alia ratione, quàm iſta turpi & Chriſtianis probroſa circūuagatione alerētur, *De ſuſtinēdis pauperibus.*

qua non nisi ad otiosam vitam, & omnis generis vitiositatẽ assuefiunt. Quod quò minùs fiat, nihil nisi crassam negligentiam impedire video. Vix enim in nostro Christiano orbe tam vilis hodie pagus est, quin posset suos pauperes mediocriter sustinere, si res modò sit cordi præsulibus, & prudentia ac ordo adhibeâtur. Qui qualis esse debeat & poßit, etsi iam pridem de hac re cogitâram: tamen postquam vidi, piißimum, omnísque literaturæ peritißimum Theologum Andream Hyperium diligenter & sufficienter constituisse, non opus est mea explicatione.

Illud verò hoc etiam loco in consilium reuocandum duxi, quandoquidem multi sæpe meticulosi, multi natura debiles, & ad seruiendum communi neceßitati inepti sunt, quos præstet alibi viuere, vt & ipsis commodiùs sit, & Resp. minùs oneretur, vtrum statui poßit, tales libertate donare, vt se aliò tantisper conferant. Etsi enim aliqui vel religionis, vel pudoris ergò suam ciuitatem communi calamitate oppressam deserere non audent, nec videri volunt Dei manũ effugere velle: tamen si consilio Magistratus rectum videatur, & in eum finem, quem dixi, fiat, bona conscientia licere non dubito. Hac enim ratione fiet, vt quantò minor hominũ frequentia sit, tantò minus quoque contagij fore: quantò verò minus contagij, tantò & pauciora cadauera, & celerior liberatio speranda est. Sicut enim cùm putredo pomorum aceruum inuasit,

quantò

quantò plura collecta iacent, tantò magis augetur, diutiúsque durat putrefactio, ita etiam hîc fit, vt si semel lues ciuitatem aliquã populosam inuaserit, indies malum amplificari, & diu foueri videamus: quod in rariori, siquidem reliqua quoque obseruentur quæ diximus, & dicturi sumus, non ita solet contingere.

De ordine, qui in rerum necessariarum venditione emtionéque obseruandus est.

CAP. VII.



A T Q V E hæc de ordine inter ciues seruãdo: deinde de rerum necessariarum venditione emtionéque dispiciẽdum est: vt quemadmodum anteà corpori de medicamẽtis, ac animæ de sacrificiis Sacramentísque prospectum est: ita quoque dè alimentis, obsoniis, cibo ac potu ciuibus consulatur. Si enim rectè dixit Diogenianus, ἐκ τούτων νοσοῦμεν οἷς καὶ ζῶμεν, maximè certè interest, nõ tantùm res noxias in vrbem non conuehi, verùm etiam bonas vtilésque afferri, sed ea proui-

dentia, vt quæ importanda sunt, minimo cum periculo prostituantur, vendantúrque. Itaque hîc leges condendæ sunt, quæ alimentorum genera vendi vel minùs liceat: item quo pretio: demum quibus in locis, mulctáque certa à conseruatoribus constituenda aduersus transgressores.

Th. Taber. de pest. lib. 1.

Res in victu fugienda.

Primùm igitur seuerè prohibebitur, ne quis vel rusticorum, vel incolarum venum exponat aut vendat, dulcia cerasa, pruna (exceptis Vngaricis & Damascenis) vuas ficúsque recentes, persica, pira, pomáq; mollia & dulcia, melones, pepones, & minimè omnium cucumeres, qui (Galeno teste) plurimum habent succi ad putrefactionem procliuis. Cucurbitas permittit Marsil. Ficinus: Rhazes verò, qui Aegyptum incoluit, vbi magna est siccitas, olera & fructus horarios frigidos & humidos tempore multùm calido concedit: quod nobis hac regione vix imitari licebit. Deinde sedulò cauebitur, ne quis vitiosos, vel malè curatos pisces & carnes publicè diuendat: quibus annumerari debet, quamuis vix prohiberi possint, nimiùm teneræ ætatis agnina, vitulináque caro: quod admodum vitiosè in magnis quibusdam ciuitatibus fieri solet: item pisces non squamosi, molles, in lacubus putridis capti, quales sunt anguillæ, murenæ, lampretæ, albuli, bustomi. Dici enim vix potest, quàm aptum pabulum hæc omnia putredini suppeditent. Horum igitur omnium loco non

modò

modò admittenda, ſed etiam expetenda, ac per conſeruatores procuranda, quæ corpori ſunt ſalutaria, & laudabiles generant ſuccos, quæq; ingraueſcenti malo impedimentum quoddam eſſe poſsint: vt ſunt inter horarios fructus pruna Damaſcena, & Vngarica ſicca, vuæ paſſæ & Corinthiacæ, perſica acida, pira quę in hyemem reponi ſolent, cydonia, amygdalæ amaræ, cappares, nuces iuglandes, ceraſa acetoſa, & in primis mala granata, aurea, limones & citria. Inter olera ſunt lactuca, intybus, cicerbita, portulaca, atriplex, ſpinachia, aſparagus, carduus ben. meliſſa, acetoſa, borrago, pimpinella, ruta, betonica, roſmarinus, ſaluia, iſopus, cerefolium, petroſelinum, fœniculum & ſimilia. Quæ cùm ſinguli non habeant, nec habere poſsint, non erit inutile, quotidie ab olitoribus in forum adferri. Piſces, quos eo tẽpore licebit vendere (quãuis hoc ſingulæ regiones pro natura loci metiẽtur, non enim omnis fert omnia tellus) erunt ſaxatiles maximè, ſicut ſunt gobiones, funduli, percæ, lucij, praſini, vari, paſſeres, pungititij, alburni, mugiles barbati, carpiones. Hos autem cum aceto vel vino non forti coquendos eſſe, quamuis ſit haud minimum valetudinis tuendæ antidotum, tamen ad præſens inſtitutũ non pertinet. Nam hîc Magiſtratus officiũ, non priuatorũ diæta deſcribitur. Carnes verò ſalubres erunt pulli gallinacei, capones, gallinæ, perdices, phaſiani, palumbi, turtures, columbæ, atta-

Res eſui apta.

genes, turdi, sturni, passerculi, frigillę, omnésque auiculæ, quæ in syluis, dumetis & vinetis degũt: item hœdi, vitulíque bene pasti & ætate mediocres, capreoli, lepores, cerui, cuniculi, boues, veruеces. Nec omnino mittenda aromata, quorum vsum ditiores (nam tenuiores fame & labore pro condimentis vtuntur) velut antidota in condiendis cibis adhibere possunt. Sint autẽ cinnamomum, crocus, nux myristica, macis, chariophylli, piper integrum, nã illius vis cùm sit in tenui substantia, facilè coquendo dissoluitur, & calfacit nimium. Atque hæc de cibis dicta sunto.

Cereuisia. De potu verò non minor cura adhibeatur, vt nihil omnino admittatur, quod aliqua ex parte putredini fomentum esse queat: & rursus quod sit salubrius, ex consilio medicorum cuique Reip. pro loci consuetudine procuretur. Nolim quicquam in aliorum præiudicium affirmare quidem: tamen non omnia potus genera æquè possum probare. Manardus ætate nostra doctissimus, celeberrimúsque medicus omnem cereuisiam in hoc morbo vituperat: sed quia ille natione fuit Italus, & soli vino assuetus (Italia enim cereuisiam nostram vix nouit) non magni hac in parte iudicium eius faciendum. Pro certo enim affirmare possum, Bremensem nostram duplicem & simplicem, item plerasque alias vicinarum vrbium, non esse insalubres, pręsertim si sint claræ, bene coctæ, mediocriter lupulatæ,

&

& colore non intenſo. Sic enim corpora exſiccare, vires corroborare, ſpiritus illuſtrare & quodam modo inſtar vini εὐφραίνειν (vt pſalmiſta loquitur) τὴν καρδίαν τοῦ ἀνθρώπου, poſſunt. Qui ſingulárum vires cupit cognoſcere, legat quorundam hac de re ſcriptos libellos, & exigat tamen ad præſcriptam modò normam, quæ accommodata eſt temporis ſtatui, cuius reſpectu nos hoc vniuerſum conſilium direximus. Dixi primo loco de cereuiſia, quia hæc primum & potiſsimum vſum apud nos habet: interim tamen non diffiteor, quin vinum pręcipuas laudes mereatur, & longè præſtet tum cereuiſiæ, tum aliis omnibus potionis generibus, ſi ſyncerū & non nimium potēs ſit. Cōmendatur verò præcipuè album, purū, maturū, odoratū, vetus, auſterū potiùs quàm dulce: nec improbatur rubellum, tenuis ſubſtantiæ, mediocris ætatis, caput non feriens. Idem de factitiis, éxque abſynthio, carduoben, betonica, ſaluia, roremarino cōpoſitis, iudicium eſto. Quibus autem hæc, quando & quantum vſurpanda ſint, ad hunc locum non pertinet. Huc igitur vſque de poculētis & eſculentis: reliqua enim, quæ in victum veniunt, vtpote minùs neceſſaria, ne minutiſsima quæque ſcrupulosè ſectari videar, prudens omitto. *Vinum.*

Porrò de pretio ſingularū rerum, quod fuit ſecundo loco propoſitum, illud duntaxat monere poſſum, vt ea adhibeatur per cōſeruatores iuſtitia, non ſolùm quam commutatione vel *De rerum pretio.*

pretio rerum æquabilẽ, & mercibus parem requirit Aristoteles, sed etiam quæ in personarum conditione tenuitatem & facultates emtorum spectet, idq; ita, vt dum hisce consulitur, illi minimè grauentur. Et quia iudicium hîc difficile, relinquenda hæc æquitas venditoribus, cum ista commonefactione, & Christiana recordatione, vt non tam auarè quæstum (quod minimè decet hoc rerum statu) quàm illud Apostoli dictum meditentur: Charitas non quærit, quæ sua sunt: item: qui volunt ditescere, incidunt in tentationes: item, nemo circumueniat fratrem suum in negotio. Quid enim iuuat tanto studio corradere, à quibus singulo momento vt abripiare, formidãdum est? Stulte (inquit Christus ad diuitem Euangelicũ, quod ego hîc verè quoque ad te, ô quisquis in communi hac miseria lucrum iniquum captas, dicere possum) hac nocte repetetur à te anima tua, & hæc quæ collegisti, cuius erunt? Quamobrem sic potiùs nobis statuendum, nos hîc nihil proprij possidere, sed tantummodò alieni æris dispensatores esse. Si quid Domino cum labore honestè acquisiuerimus, laborem finiturum, mercedẽ autem permansuram: sin cõtrà illiberali & iniqua exactione proximum grauauerimus, iniquitatem quidem mansuram, lucrum verò finiturum esse. Præter hæc requiro etiam hîc, vt Principes, & quicunque vectigalia habent, de iure suo aliquid remittant illis ciuitatibus & populis, qui

hac calamitate afflicti, tum propriis impendiis nimium grauātur, tum solita commercia exercere non possunt.

Postremò etiam de loco, in quo singula quæ ad cibum potúmque pertinēt, venundāda sint, aliquid addendum est. Nam vnum in forum omnia comportari, minimè videtur consultum. Ita enim necesse fuerit, ingentem hominum turbam conuenire, & rerum variarum, sæpe etiam sordidarum ac grauiter olentium odores commisceri. Quod procul dubio non exiguam occasionem daturum est putredinis, quam omni diligentia vitandam esse, si contagium vitare voluerimus, iam sæpe dictum est. Constituenda igitur plura loca in diuersis vrbis partibus, vbi ea requirantur, quæ ad victum spectant, & cuiq; necessaria sunt. Sit quoque diuersum carniū & piscium forum, item olerum, fructuúmque, vt omnia incommoda, quæ ex promiscua hominum multitudine, & rerum venalium comportatione emergere posſint, sedulò euitentur.

De locis vēditioni aptis.

De illustrando aere, mundificandis plateis, remouendis vaccis, porcis, anseribus &c.

CAP. VIII.



QVAE ad esculenta poculentáque pertinent, capite proximo tradita sunt: in quo cùm diuersa loca venditionibus eorundem inter cetera præscribenda dixerimus, vt contagij dispersio impediatur, & nihilominùs putredo, ex qua illud frequenter sumit, non solùm originem sed etiam augmentum, difficulter ab illis locis queat prohiberi, rectè sequitur, vt de illustrando aere, de mundandis plateis, & quæ has quàm maximè coinquinant, remouendis vaccis, porcis & anseribus, paucis agamus. Video enim omnes eruditos, quin & vulgus quoq; hoc affirmare, causas videlicet tollendas esse, vt effecta, quę ex causis existunt, tollamus: item, mũdum aerem plurimum ad robur spirituum & valetudinem facere: adeo vt prouerbio locum dederit, qualis aer, talis animus: item notum est, nihil æquè dissoluendarum virium esse, quàm

fœtorem.

fœtorem. Quia verò plateæ mundæ ſeruari nequeunt, nec proinde fœtor, putredo & aeris impuritas impediri, quamdiu feruntur illa animalia, quæ eiuſmodi ſpurcitiei plurimum generât, hæc priùs exigantur oportet in locum aliquem ſuburbanum, qui ad eam rem opportunus videatur, nẽpe qui ſit prope flumen, ſi modò poſſibile eſt, vt ſordidæ illæ ſaburræ in illud expurgari poſsint, vel vnde quàm minimùm tetrę exhalationes vrbem infeſtent. Fimus enim & excremẽta eorum, quæ dixi, animalium, incredibiliter afficiunt debilitántque ſpiritus & membra principalia, cerebrum, cor &c. Huic vicinũ & nimis abominabile vitium eſt (quod miror in honeſtis vrbibus tolerari, & referre pudet) plateas & vicos, adde & beatè mortuorum cœmeterium, paſsim impudentium mendicorum oletis, adeo alicubi contaminari, vt quocunque te vertas, non viam in ciuitate publicam & honeſtam, ſed pudendam cloacam (ſit honos auribus) videre te putes. Idem ferè dicas de aquis lixiuiorum, quibus vaſa & linamenta abluuntur, quáſque paſsim ancillæ temerè prófundere ſolent, & obiicere vicinorum foribus, cùm domi ſuæ non ferant. Quamobrem operam dabũt conſeruatores, vt poſtquam vrbem ab iſtis beſtiis liberarint, inquinamenta ſubinde omnia exportari ſimul iubeant, legéque lata ſanciant, ne quis poſthac eiuſmodi turpitudinem foueat, admittátve. Quod vt faciliùs obſeruetur, in-

ſtaurandæ in loco ad eam rem commodo haræ ac ſtabula, ea ratione qua dictum eſt: item latrinæ publicæ & barathra ſubterranea, in quæ deferatur, quicquid eſt eiuſmodi fœdæ ſaburræ: quæ ſi cœperint impleri, calce cooperientur, vt conſumatur: alia enim conſuetudo, quæ fit euectione, eo tempore non eſt tuta.

Hinc autem & foſſæ, ſi quæ ſunt intra vel extra vrbem (ſolent enim plerunque mœnia vrbium foſsis cingi, quæ non rarò pro foricis plebi ſeruiunt, dum in eas omnes ſordes velut in camarinam aliquam exportantur) item paludes ſtagnantéſque aquæ, ſi vllius inde malæ exhalationis ſuſpicio eſt (vt quādo linum canabíſque, vel pelles coriariorum in iis macerātur, vel quando in eas latrinæ per cuniculos ſuam exonerant ſentinam) aut terra implendæ, aut canalibus educendæ ac deriuandæ, aut denique torrente, ſi fieri poteſt, in eas deducto, aliquoties perpurgandæ ſunt. Nam tales ſæpenumerò (vt
Lib. 1. cap. 49. teſtis eſt Paulus Aegineta) venenoſi peſtilentíſq; aeris cauſæ ſunt efficaces. Idem medici omnes, & Theologi plerique præcipui de cœmeteriis cenſent, de quibus libro ſecundo paulò plus dicetur. De Africa refertur, graui peſtilētia aliquādo infeſtatam eſſe propter putridum vaporem
Alexand. Ben. lib. 1. de peſt. ca. 2. è locuſtis maritimis ad littus reiectis, ibíq; mortuis exhalantem. Idem poſt magnos terræ motus aliquando accidiſſe teſtatur Alex. Ben. Dirus enim (inquit) in profundo vapor, pigritia, lōgo ſitu,

ſitu, & æterna nocte torpeſcens, purũ liquidúmque aerem inficere, nouáſque & malignas febres afferre poteſt: quales Venetiis olim fuiſſe, certæ ſunt hiſtoriæ, quib⁹ grauidæ penè omnes abortiebantur, & mox eodem anno peſte interiêre. Nam quod id aliqui ad draconem, qui in illis cauernis latuiſſet, referebant, fabuloſum fuit. Plura huc exempla adducere non opus eſt, etſi abundè fieri poſſet. Experientia enim & ratio, quę ſunt duo præcipua inſtrumenta faciendæ fidei, huic ſententiæ aſtipulantur. Quamobrem ſummoperè cauendum eſt conſeruatoribus, ne cùm reliqua induſtriæ genera adhibuerint, hóſque præſentaneos putredinis fomites relinquant, fruſtrà oleum & operam impenderint.

Verumenimuerò obiiciat mihi forſan hîc aliquis vulgare illud dicterium: venenum veneno, vt clauum clauo pelli: Item gentium quarũdam conſuetudinem, quæ huiuſcemodi temporibus loca peſtifera malis tetríſque odoribus non prohibere, aut expiare, ſed implere & ſuffire ſolent. Cuius refert Alexand. Benedictus ſuæ ætatis memorabile exemplũ de Sarmatia, quod etiam ratione phyſica confirmari poſſe putat. Quidam nobilis mercator (ait) Cretenſis, cùm in Taurica regione negotiaretur, & ſæuiſsima peſtis aeris vitio orta eſſet, qua finis moriendi non erat, in ea ſumma hominum ſtrage à ſe medicum viſum, loci eius incolam (nam Sarmatæ

Aeris illuſtratio.

Li. de peſt. cap. 6.

ea loca tenent) qui canes interemtos passim per vias, pérque vicos omnes abiici iussit, qui distēti ac putridi tetro odore cælum impleuerunt, eóque remedio statim ciuitatem sanitati restitutam esse, & Sarmatas id remedij factitare solitos. Putrescentes enim canes aeris naturam immutarunt, qui hominibus duntaxat exitialis erat. Ita enim dissimilitudo & rerum discordia facit, venenúmq; veneno debellatur: Quod etiā Zoar quidam inter posteriores Arabiæ physicos affirmat. Hæc narrat Alexand. Quæ ne quis ignauus suæ negligentiæ prætexat, dum eiusmodi, quem viri prudentes consulunt, expurgãdi rationem & laborem cupit subterfugere: aut ne quis temerè imitetur, quod quomodo fiat, non intelligit, causa inuestiganda est tam inauditi & insoliti remedij. Consentio igitur verum esse, venenum veneno interdum exterminari, sed id cùm fiet, necesse est, vt quædam inter ipsa, quę se mutuò expellēt, manifesta aut occulta ἀντιπάθεια sit. Alioqui enim non modò alterum ab altero non fugiet, sed accedet potiùs, coniungetúrque firmiùs ac interiùs consociabitur. Concors enim (vt Hipp. ait) concordi adhæret, ac assidet. Discordia autem rebellant, pugnant, atq; inter se dissident. Item vulgò dicitur, similia similibus non solùm conseruari, sed etiam augeri, & corroborari: vt ignis oleo, naphta, sulphure, succino, lignis: calor calore, febris humorum putredine, hydrops aquæ potatione, bilis ca-

Zoar.

Autor lib. de morbo sacro in fine.

Li. de diat.

porum

porum esu, & (autore Marsil. Ficino) virus pesti- *Plin. 2. ca. 105.* ferum lana augeri solent. Antipatheia autem illa, quam dixi, quum sit ab innata qualitate, quæ diuersa est in diuersis rerum generibus, causasque *Erast. de occul. med. facult.* sæpe multiplices habeat, etiam pro natura loci, constitutione cæli, subiecti temperamento & habitu, denique pro virulentiæ & agentis causæ *Galen. de simp. fac. ca. de lap.* proportione, mirificè variat, magísque euentu, quàm stabili aliqua ratione potest intelligi. Quid igitur ad propositam quæstionem dicemus? Manifestáne qualitate hæc curatio perficitur? Canum enim natura sicca est, & putredo, cum qua plerunque pestis est, in humido dicitur esse corruptio. An potiùs canum putrescentium fœtorem naturæ pestis quadam proprietate occulta repugnare? Equidem dicere non ausim, quando id nullius, quod sciam, autoritate, sed tãtùm illius fortè regionis consuetudine, illiúsque soli conuenienti experientia comprobetur: nempe quòd ibi singularis quædam pestis, singularis natura canum, singularis aer, singularis hominum temperatura, & reliqua quæ huc requiruntur, omnia singulari quadam proprietate conueniant, quæ in aliis mundi plagis, aliísque animalium hominúmque naturis vsquequaque similiter se non habent. Quod illis dubium esse non *Clemẽtius Clementinus de nat. pest.* potest, qui mediocri rerum experiẽtia sunt præditi. Pestilentiæ enim virus non est vniforme omnibus temporibus ac locis. Homines etiam & ceterorum animalium genera inter se magnopere

perè differunt. Est cùm peste moriantur potissimùm pisces, interdum quadrupedes, nonnunquam aues, aliquando homines: imò inter homines aliquando fœminæ magis quàm viri, iuniores magis quàm seniores. Hieronymus Cardanus multarum rerum peritissimus vir, commemorat pestem quandam Basiliensem, qua soli Heluetij, non item Hispani, aut Itali, aut Galli, qui in eadem tamen vrbe essent, affligerentur. Quod certè admiratione dignum esset, nisi sciremus, rerum infinitam esse varietatem, maiorémque partem (vt fatetur summus philosophorum Aristoteles) semper nobis manere incognitam. Vt ergo hunc scrupulum concludamus, sequendam potiùs nobis clarissimorum virorum, tam veterum, quàm recentiorũ, quicunque hanc causam tractarunt, autoritatem censeo, quàm vnius loci peregrini, in quo fortè etiam non eodem cursu respondent vltima primis, hominum barbarorum quacunque experientia receptam consuetudinem.

Lib. 8. de Var. rerũ cap. 4.

Scribon. Larg. in præfat. de compos. med.

De auscul. phys.

Ignis Virtus.

Quamobrem cùm nos sciamus, bonam partem eiusmodi exitialis mali ab aere corrupto, putrido & venenato pendere, igníſque putredini maximè omnium resistat, igne vtamur potiùs, imitati Hippocratem, quàm istis immanibus fœtoribus, qui etiam sanos non parum lædere possunt: igne luceât vici nostri, igne flagret noster aer, cuius quanta sit substantiæ bonitas & subtilitas, vide Albucasim Arabem chirurgum,

parte

parte 1 suæ chirurgiæ, cap. 1. Ignis enim purissimus est, & purificat omnia. Vnde & antiquitus tanquam potens aliquod numen Chaldæis cultum esse testatur in historia sua Ecclesiastica Eusebius, Aqua quidem superficiem emundat, sed interiora non potest abluere, quia ad ea nequit penetrare. Ignis verò cùm sua vi permeet omnia, nihil relinquit intactum, cúmque natura purissimus sit, vt dictum est, celerrimè quoque omnia expiat. Quare cùm ad extremum iudicium Christus plenissimè purgaturus est mundum vniuersum, non aqua, vt tempore Noæ, sed igne instructum Scriptura prædicat venturum, tantúmque opus perfecturum. Videmus enim igne omnes nubilositates validè discuti, cōsumi omnes superfluas humiditates, illustrari aerem, accendi lætitia cor humanū, dissipatis videlicet turbidis crassísque in corpore vaporibus, addi tóque robore grauatis mēbris: vt non frustrà vulgò dicatur, vt ignis domus singulare ornamentum est, ita quoque hominibus esse optabile emolumentum: adeóque vt non frustrà poeta interroget, Igne quid vtilius? Et ego, si roger, quid sit præcipuū in præseruando oppido à contagione pestis, quemadmodum ille quærenti, quid potissimùm esset in oratore: primò, secundò, tertiò respondit actionem: ita iure quodam respondere possem, primum, secundum & tertium præsidium esse ignem, quod optimi quique sic experientia & ratione edocti statuerūt. Ignis

Dioscor. 6. cap. 36.
Plin. nat. hist. 36. c. vlt.
Lib. 11. cap. 26.

Auicenna de medic. cord. tract. 2. cap. 10.

enim aeri tanquam theriaca eſt, quæ illius putredinem exiccat. Porrò exſiccatio ſummũ eſt, in quo Galenus intentionem curationis huius morbi poſitam eſſe ait: cùm humiditas, in qua corruptio accidit & putredo, nimia eſt. Ariſtoteles quoque ait, omnia elementa putreſcere, excepto igne. Quare quando aer putredinem contraxit (intelligo autem eam putrediné, quæ miſtione vaporum è terra vel aqua elatorum fit) qui aer, vt ſtomachus in homine omne genus cibi & potus, ſic cunctarum rerum exhalationes excipit, nihil conducibilius eſſe poteſt, quàm ignis, qui non tãtùm aſſumit vt aer, ſed abſumit potiùs omnes corruptos & putredinoſos vapores. Nam ſicut ignis ille, ſeu calor, aut potiùs vis calorifica, qualis eſt in zedoaria, meliſſa, cinnnamomo, angelica, multíſque aliis ſimilibus, naturalem hominis ſpiritum illuſtrat, prohibétque contagium priuatum: ita ignis noſter artificialis, quo de hîc agimus, vſum ſuum in externo aere exerit, & arcet, depellítque cõtagium commune, ſumma cum admiratione & vtilitate.

1 de diff. feb.

Metheor. 4. cap. de putred.

Quamobrem, relicto illo naturali artificibus medicis, qui in curatione ſingulorum verſantur, noſtri conſeruatores id curabunt, vt tempeſtiuè conuectis in hunc vſum lignis ſiccis, velut iuniperi, quercus, vinearum, fagorum, cupreſsi, pini, piceę, vel etiã ſalicum, ingentes quotidie ignes vndiquaque in vrbe, præſertim autẽ vbi maius periculum eſt, vel imminet, accendi

iubeant:

iubeant: idq; ferè simili modo, quamuis dissimili fide, quo veteres olim gentes, suffitus, cereas faces, rogos ad oppida vicinósque agros, tum ab impuritate aeris (vt equidem coniicio) tum à dæmonibus (qui tamen quòd igni assueti sint, minùs eo territos ac læsos esse verisimile est) illustrandum expiandúmque solenniter, statutis temporibus instruere consueuerunt. Imitētur, quæso, per sacram Vestam, diuinum illum Hip. qui hac prudentia Græciam (vt testis est Thucydides) ab Aethiopiæ pestilentia olim præseruauit, eámque ob rem corona aurea donatus est. Item Thaletem Milesiæ philosophum, qui solùm instructis ignibus Acrontem patriam suam ab hac calamitate liberauit. Imitentur, inquam, potiùs horum exemplum, qui sempiternam laudem prudentiæ suæ in toto terrarum orbe consecuti sunt, quàm illorum barbarorum barbaram & ineptam consuetudinem.

Aetius Amidē. 2. ser. 1. cap. 94. tetrab.
Paul. Aeg. 2. cap. 35.



De canibus, felibus, aliisq́ domesticis ac cicuratis animalibus, quæ circumuagari solent, abigendis, vel domi continendis.

CAPVT IX.



XPEDITA proximo capite perpurgandi ratione, quã spurcis animalibus remouendis, fimis & platearum inquinamentis auferendis, fossis, paludibúsque implẽdis, corrigendísve: denique aere ignibus collustrando constare diximus, hoc loco videndum est, quid de canibus, felibus, capris, aliísque cicuratis ac circumuagantibus bestiis ex vtilitate rationéque dici ac statui possit. Hîc igitur conseruatorum edictum mox ab initio morbi extare velim, quo eiusmodi vel abigantur, occidantúrve, vel sedulò intra priuatos parietes contineantur custodiantúrque. Quod sanè non imprudenter Respub. quædam obseruant, vt quibusdam anni temporibus, præcipuè autem circa ardores Syrios, quando Sol Leonis signum ingreditur, quod tempus vulgò dies caniculares

Dioscor. 6. cap. 35.

niculares appellant, canes interfici mandent, cuius cauſam hanc eſſe exiſtimo: cùm animal valde æſtuans, & natura bilioſum ſit canis (teſte Galeno, etſi Gordonius, non malus alioqui autor, atrabilarium eſſe putet) & habeat cordis cauernulas admodum anguſtas, illo tempore cùm cæli feruor flagrãtiſsimus eſt, inflammatis in corde humoribus, & ebulliente ſupra modum ſanguine, in rabiẽ facilè efferari ſolent: vnde poſtea tum hominibus, tum aliis animalibus maximũ præſentiſsimúmq; impendet periculum.

Part. 1 de feb. cap. 17.

Canis rabioſi cum peſtifero collatio.

Quod ſi igitur ſimile quippiam etiam hic nõ ſolùm de canibus, ſed etiam felibus, atque aliis eiuſmodi tam cicuribus, quàm cicuratis animalibus dici queat, nempe vt virus hoc peſtiferum, quaſi rabiem quandam non minùs quàm homines aſſumere, & niſi domi coerceantur, ad alios deferre, etiam ipſis ſæpe innocuis permanẽtibus, poſſint, nónne eadem ratio in hoc quoque ſtatu epidemico valebit? Imò verò tantò magis hîc valebit, & imitanda eſt, quantò magis non modò à cõtactu morſúve eorum, vt ibi, ſed etiam ab infecto per illa communi aere contagionéque fundenda inferendáque, dum perpetuò huc illúcq; curſitant, periculum metuendum eſt. Accedit huc, quod rabie deterius eſt: infecti enim lue peſtifera canes, ſicut & aliis malis laborãtes, domũ ſuam plerũq; repetũt, & domeſticis ſuis, tanquã ab illis opem ſperantes, vel apud illos aſylũ quęrentes, ſe inſinuant, proximéque adiungunt, vt

traditoris Iudæ exemplo ipſum aliquando herum ſuum hoc periculo inuoluãt, prodántque, cùm rabidi plerunque contrà tam notos, quàm ignotos fugiẽtes, in loca ſylueſtria ſeſe recipiãt, adeóque ſe apertos hoſtes indicent, vt cauere & fugere liceat, ac rarò alios, quàm qui obuij fiũt, quíque ſeipſis opponunt, inuadant. Item qui veneno peſtilentiali affecti ſunt, ſæpenumerò morbi vehementia in locum aliquem ſecretum ſe abdunt, ibíque taciti moriuntur, & mortui, priuſquam res cognoſcatur, longo nonnunquã tempore iacentes putreſcunt, funeſtíſque vaporibus aerem inquinant, atque ita non ſolùm viui, ſed etiam mortui plurimum nocent, quod in rabioſis non ſimiliter accidit. Poſtremò ſi inter ſe cõferas morbi vtriuſque genus, quamuis ambo lethali periculo ſæuiant: tamen minùs perniciosa eſt rabies, quia diuturniores plerunq; concedit inducias, nec tam celeriter vniuerſas proſternit affecti corporis vires, ac proinde nec tam præceps exitium affert, quàm peſtis. Hæc enim adeo eſt ſubtile, penetrans, vehemens, demum adeo vitali ſpiritui infeſtum hoſtiléque venenũ, vt per quoſcunque meatus corporis tranſire, ac paucis horis vitæ arcem occupare, & mortẽ inferre poſsit. Quod cùm ita ſit, ſi rabioſos canes omnibus modis vitãdos cenſemus, multò magis peſtilentes vitandos eſſe, rationi conſentaneum eſt.

Dioſcor. 6. cap. 35.

Scribon. Larg. de cõpoſ. med. Alex. Ben. 26. cap. 16. Matthiol. lib. epiſt. 6.

Sed vnum fortè tibi incredibile videbitur, quòd

quòd canes, feles &c. innocuos aliquando à peste diximus manere, & nihilominùs ad alios afferre, eósque intoxicare. Cuius rationem reddere difficile non est. Hoc enim ex recipientis subiecti dispositione accidit, in qua secũdum Aristotelem, Galenum, Auicennam, reliquósque insignes philosophos, rei effectio potissimùm consistit. Nam cùm aptum est subiectum, tunc efficiens causa quantumlibet imbecillis, effectũ suum citò potest producere: vt stupam, vel sulphur celerrimè accẽdit vel exigua scintilla. Quẽadmodum rursus cùm effectrix causa est potẽs, tunc quoq; vel non aptam materiam subigere, & pro arbitrio suo in eam agere valet. Licet enim sulphur faciliùs ignem cõcipiat, quàm lignum, & lignum siccum aut in asseres fissum faciliùs quàm viride ac solidum: tamen ardens focus aut fornax tam crassa, quàm tenuia, tam viridia, quàm sicca in flammam rapit & consumit. Vehemens enim, vt dixi, agentis vis, subiectam sibi materiã celerrimè disponit atque informat. Hinc Marsil. Ficinus medicus & philosophus eximius de peste quadam suæ ætatis, videlicet anno 1479 refert, in agro Italiæ, Coregio dicto, feles & canes aliquoties pestem ex vna domo in alteram intulisse, ipsis nulla ex parte contagio læsis. Idem dicitur de alio quodam, qui ab equo suo peste fuerit infectus, à qua tamẽ equus nullum senserit damnum. Quæ omnia eò dicũtur, vt intelligatur, minimè securè aut oscitãter

Alex. Aphrod. 1 problem. 85.

De Epide. cap. 2.
Th. Erast disputat. Paracels. part. 1.

agere oportere, quò minùs hoc malitiosum cõtagij genus omnib⁹ viribus, omni studio, omni denique cura & prouidentia arcendum extinguendúmque esse conseruatores nostri sibi persuadeant.

De non admittendis in vrbem hospitibus & peregrinis, neq; rebus importandis sine testimonio sanitatis eius loci vnde veniunt.

CAPVT X.



Erum enim uerò frustrà omnino suam Rempub. conseruatores hac industria & diligentia curabunt, si non simi lem etiam prudentiam adhibuerint, in externis vel homi nibus, vel rebus admittendis excludendísque, quando hæc calamitas passim gliscit, vt hoc tempore in magna ferè Germaniæ parte contingit. Quid enim profuerit proprias sordes amouisse, si alienas iterum velis admittere? Quemadmodum enim hæc est laudabilis medicorum industria, vt cùm priùs impurum

ægrorum corpora medicamentis καθαρτικοῖς expurgarunt, postea prudenter caueant, ne simi les superfluitates denuo colligant: item ne vllæ in morbis reliquiæ supersint, quæ recidiuas facere posśint. Eodem quoque modo Magistratus noster (quem hîc generalem medicum esse oportere diximus) in vniuerso & communi Reipub. corpore operam dabit, cunctísq; ordinatim prouidebit, vt ne minimum quidē contagij momētum, vnde noui errores, nouáque pericula metuenda sint, admittatur, relinquatúrq;: nam (vt ait poeta) neglecta solent incendia sumere vires. Et quis ignorat (quod iam sæpe est dictum) pestē morbum prorsus contagiosum esse, neq; solùm in hominibus & pecudibus, sed etiam in rebus variis, vt pannis, ferramentis, lignis, vasculis, lectisterniis, sarcinulis, linteaminibus, mercibus, supellectilibus, pecuniis, maximè autem omniū in laneis vestibus (nisi admodum cautè egeris) diu inclusum posse delitescere, & data occasione virus suum magna clade latè diffundere? Sicut enim canis rabie infectus multos sæpe dies, imò quorundam iudicio, multos sæpe menses atque annos venenum suum circumfert, priusquam vllam noxā sentiat: ita in hoc quoque malo accidere infinitis propè historiis, quas partim ipse, partim alij fide digni medici obseruarūt, cōstat. Memini enim superioribus annis, quando Colonia Agrippina atroci epidemia affligeretur, puellam quandam celebris familiæ, vnà cum matre

Alex. Bēn. lib. 1 de pest. cap. 2.

Galen. 6. de loc. aff. cap. 5.

Gordon de feb part. 1. cap. 17.

Alex. Ben. lib. 26. cap. 16.

Leuin. Lē. 3 de occult. nat. mirac. cap. 5.

& altera sorore ex vrbe fugisse, ac in alienum aerem secedēdo salutem quæsiuisse: quæ quamuis sana esset egressa, & in locum salubrem peruenisset, triduo tamen pòst, infecta & mortua est: cuius nulla alia causa fuit, nisi quòd venenum pestiferum interea temporis quietum vel in vestibus fugitiuarum, vel in viis cutis patentibus, aut venis nō adeo cordi propinquis hæserit, nec eam antè grauârit, quàm cor ipsum attingeret.

Pestis descriptio. Leuis enim & exiguus vapor est, qui non tātam cum ceteris membris, quantam cum corde inimicitiam habet. Quam ob causam Mars. Ficinus non veretur affirmare, vel integrum bimestre sine noxa in hominibus posse latitare. Quod si verum est, vt certè verisimile est, nimis longè & obscurè in influxum Saturni, Martis influentiā retardantem, quidam causam hanc reiiciunt. Et Bern. Cronenburgius, aliâs expertissimus medicus, hoc modo populariùs & efficaciùs quibusdā obstrepētibus, & præ imperitia fugientes pestifera loca culpantibus respondere potuisset, quàm nescio qua prauorum humorum & inordinati victus culpa: quibus equidem rationibus febris aliqua aut leuior morbus, rarissimè autē pestis oriri solet. Constat enim mihi de hac ipsa virgine, ob animi eius pietatem, & Dei singularem cognitionem & timorem, adiuncta ætatis maturitate, & peculiari matris præsentis cura, ea præsertim temporis constitutione, parum aut nihil in victu deliquisse, neque vlla cacochymia labo-

Clemētius Clementi. ca. de pest.

laborauiſſe. Si tamen de puella, quarum ſexus labilis eſt, id videatur difficile creditu, poſſem idem affirmare de medici cuiuſdam experientiſſimi filia ſimul & vxore, quæ ambæ eodem modo, alio in loco, in quem ſecuritatis gratia feceſſerant, peſtilẽtia correptæ & mortuæ ſunt, quas neque victus incauta ratione, neque inſalubris loci natura illud venenum ibidem genuiſſe, ſed eò ſecum aſportaſſe credibile eſt. Quòd ſi verò nondum plenam fidem hæc facere poſsint, quò minùs quod dico, approbare queas, adducā efficaciora etiam argumenta. Patauium Italiæ Ciſalpinæ (quam modò Lombardiam vocant) Venetorum dominio ſubiectam ampliſsimam ciuitatem, memini ab vno ſcholaſtico (cuius domiciliū non longè à meo diſtabat) qui Venetia peſte infectus rediit, totam ferè cõtaminatā eſſe. Quàm ſæua, atrox, & tātùm non inuſitata peſtilẽtia graſſabatur Hamburgi ante paucos annos: atqui hāc vnius hominis cõtagio, qui Dantiſco illuc venerat, originem ſuā habuiſſe, retulerunt fide digni viri, & eius vrbis ciues. Tādem vt domum quoque noſtram veniam, noſtra quoque Reſp. vnius polluti hominis vitio, qui Hamburgo æger ad nos deportatus fuit, eodem tẽpore, adeo paucis diebus inficiebatur, vt nullus ferè vicus ab illa lue eſſet liber: quamuis rurſum tam rari ea interierunt, vt nulla ex omnibus maritimis ciuitatibus (cùm paſsim peſte premerẽtur) tam paucos amiſerit homines: haud dubiè ſin-

Anno 1556, peſtis Patauij.

Hamburgi peſtis, anno 1566.

Bremenſis peſtis, anno 66.

gulari Dei clementia, & Magiſtratus medicorúmque prudentia & induſtria: quæ duo Deus ipſe coniunctaeſſe voluit, neque temerè ſine hominum opera, ſuam opem nobis largitur. Hæc ergo de contagio per homines ſparſo acquiſitóq; ſufficiant. In quibus illud maximè vtile, & perquam neceſſarium ad cõmunem omnium tutelam eſſe intelleximus, ſi non tam temerè (quàm fieri plerumque ſolet) vulgus cõmiſceatur, neq; promiſcuè pro libidine quibuſvis quocunque aditus concedatur.

De rebus verò ipſis, quæ ex funeſtis allatæ locis contagium ſimul attulerunt, tam multa ſeſe offerunt, vt dies chartáque citiùs mihi defutura ſint, quàm exempla, ſi eorum vel minimam partem velim enumerare. Omiſsis ergo antiquiſsimis, quæ propter vetuſtatem minùs merentur fidem apud nos: de paucis ſaltem, & quæ paulò ante noſtram ætatem, aut hac ipſa ætate noſtra cõtigêre, loquamur. Refertur hiſtoria multis nota ac notatu digna: cùm Verona in confinibus Italiæ obſidione premeretur ab Imperatore Maximiliano, incidit in exercitum Germanorum peſtis, vt plus minus duo hominũ millia ea perirent. In hac ſtrage hoc certò eſt compertum, viginti quinque milites vna pellicea veſte ordine infectos ac mortuos eſſe. Nam cùm vnus diſcederet, ſtatim ſucceſsit alter, & velut prædæ expoſitam ad ſe recepit, induítque veſtem. Eáq; pernicies eouſque progreſſa eſt, donec à chirurgis obſer-

Anno 1511.

obſeruata fuit huius cladis & contagionis cauſa. Qua cognita, communi ſententia in ignem coniecta & exuſta eſt verè venefica hæc pellicea, & poſt eius ſuppliciũ paulatim peſtis remiſsior facta eſt, & tandem ceſſauit. Alexander Benedictus (qui vixit anno 1493) ſimile quiddam narrat, quod accidit Venetiis, his verbis: Audiui (inquit) patris mei ætate in vrbe Veneta culcitram peſtilentiæ tempore ſuſpectam, in interiorem domus partem cuiuſdam patritij eiectã, ac poſt ſeptimum annum requiſitam, quam materfamiliâs diſcuti iuſsit, longo enim ſitu in abdito loco virus vehementiùs contraxerat, quo ſerui protinus ſubita peſte correpti ſunt. Nõ diſsimilis hiſtoria, quamuis primùm à perſona, non re cœperit, mihi olim relata eſt, quam alibi verbis Germanicis recitaui, habet autẽ ſic: Anno ſexageſimo quarto, ſupra milleſimum quingenteſimum, quando Colonia crudeliter peſtifera hac lue affligeretur, auriga quidam, qui quater mille paſſuum iſtinc habitabat, fortè in vrbem aliquid mercium aduexerat, ac viciſsim contagiũ hoc (proh nocentiſsimum laboris præmium!) domum ſecum retulit, & in breui tempore eo occubuit. Inde elapſis ſex hebdomadis (tam diu enim ſe venenum à noxa continuerat) moriebantur eadem in domo omnes liberi, omnéſq; miniſtri, vna ſola ſuperſtite manente matrefamiliâs. Hoc facto iterum penè duos integros menſes abſque omni damno ſubſtitit malum.

Sed cùm res omnes saluas esse sperarent, ecce relicta vidua dono fortè dedit vicini pauperculi filiolo sui filij defuncti interulam, qua noctu tectus puer, ac insperatò pollutus statim mortuus est vnà cum vniuersa familia, excepta rursus sola matre. Quod cùm quartò eodē modo vt antè, longo tempore intermisisset, & demum ad hanc relictam viduam peregrini quidam commoratum venissent, de nouo reuixit, quod mortuum credebatur infortuniū, ac simul omnes perdidit, eadémque ratione ad Ianuarium vsq; grassando perdurauit, donec hyberno tandem frigore victum ipsum quoque, non sine magna vicinorum gratulatione interiit. Addendum & aliud non minùs triste exemplum, quod in vrbe nostra Bremensi obseruaui. Fabro enim ferrario peste extincto, qui huius hæres erat eiusdem artificij, relictæ Spartæ nimiùm auidus, eheu vnà cum suppellectili morbū quoque mortémq; simul domi suæ intulit. Nam cùm inter reliqua vas esset ad balnei vsum, more patriæ paratum, in hoc ipse cum quinque domesticis lauit, & prima nocte omnes sunt lue pestilentiali infecti, & enecati. Notabiles certè historiæ, quibus etsi haud facilè pares inuenias, tamen quod ipse vidi, Venetiarum vrbem amplissimam tantùm vtensilibus & vestimentis quibusdam, quæ clàm istuc Iustinopoli aduecta fuerāt, vniuersam ferè infectam fuisse, tacere non possum: quamuis ob summam Magistratus prudentiam, & indefessam.

ſam omnium ordinum curam Dei præſidio ſubnixam, nec diu durauerit, nec multos abſtulerit. Simile ferè contigit ante paucos annos in vicino nobis Comitatu Hoyenſi, vt muliebri veſte illata in quodam pago ex vrbe, quæ tunc peſte affligebatur, Hamburgo, breuiſsimo temporis ſpatio quinquaginta è medio tollerentur: ac niſi ſtatim per Dei gratiam induſtria & prudentia præfectorum fuiſſet ſopita, haud dubiè proſerpſiſſet latiùs, præſertim ob miſerorũ ruſticorum temeritatem & conſilij inopiam. His poſſem addere, ſi tamẽ non propter rei enormitatem ſupprimenda potiùs, quàm hiſtoriæ inſerenda ac diuulganda quis putet, quæ in vrbe Patauina ipſe vidi, nempe rebus quibuſdam peſtilenti aere infectis, partim clàm in alienas ſanáſque ædes proiectis, partim infantibus dono datis, cõtagium mirificè fuiſſe amplificatũ. Quo facto adhuc nefandius eſt, quod mihi hæc ipſa ſcribẽti, de quadam celebri Germaniæ ciuitate relatũ eſt, fuiſſe videlicet ibidem aliquot veſpillones & pollinctores, qui aut pretio à quibuſdam conducti, aut ſua immani auaritia, vt commodum facerent ex aliorum incommodis, publicas ciſternas collecto ex peſtiferorum apoſtematis virulento pure infecerunt. O crudele, nefariũ & poſt hominum memoriam inauditum facinus! Impiæ veneficæ, quæ vulgò ſtriges appellantur, grauem quidem pœnam merentur, etſi multis in locis nimis temerè, & nonnunquam ille-

gitimè (liceat mihi id hoc loco obiter dicere, ſatis enim hanc cauſam hodie viri eruditi diſceptarunt) tractari conſueuerunt, frigidâ, aut potiùs focum vndique ſuffundente Molocho, qui talibus holocauſtis delectari ſolet: verùm an illi peſtiferi venefici minore pœna digna tibi videbuntur?

Quare cùm iam intelleximus, quantum ad præſeruandam Rempublicam momenti habeat, & quàm neceſſarium ἀλεξιφάρμακον ſit, vt ne temerè admittamus vel homines, vel res cuiuſcunque generis, quæ veniunt è locis funeſtatis, ídque magis (ſi Cardano credimus) quantò illa loca Orientaliora fuerint (ſolet enim peſtis, vt reliqua, quaſi motu cæli diurno, ab Oriẽte in Occidentem (inquit) procedere) cùm, inquam, hæc ita ſe habeát, eiuſmodi cautio eſt adhibenda conſeruatoribus noſtris, vt conſtitutis inſtitutíſque portarum cuſtodibus, nullum peregrinum recipiant, neque res vllas inferri permittant, niſi habeant teſtimonium aliquod ſcriptum, ſignatúmve integritatis fide dignum. Idem quoque in ciuibus obſeruandum, ſi fortè (vt facere ſolent, qui rei, quàm valetudinis maiorem habent rationem: per mare enim, per terras currit mercator ad Indos, pauperiem fugiens) peregrè domum redeant, & è locis ſuſpectis veniant. Tametſi enim neque hæc ſatis aliquando ad præcauendum erunt, dum homines temerarij & obſtrepere vel fallere interdum ianitores,

De rerum Variet. 15. cap. 78.

Scribon. Larg. de cō poſ. med. in præfat.

nitores, vel apertè huic constitutioni, tanquam inusitatæ seruituti repugnare conabũtur: multi tamen reddentur circũspectiores qui boni sunt, cogitabúntque, non perpetuas, sed temporarias esse leges nostras, quæ ipsorum quoque salutis gratia sint institutæ, tantóque minùs diu duraturas, quantò citiùs & maturiùs venienti malo occurrerint, & diligentiùs auerterint. In communi enim aduersitate omnes operam suam accommodare, & plus quàm priuatam causam curare decet.

Quod si verò aliquis contra charitatem fore opinabitur, quòd excludendos sentiam homines ac fratres nostros, quorum plerique velut ab hoste lethali, ad nos, tanquam ad asylum cõfugiant: huic ita responsum sit, neminem me velle desertum vel ope nostra prorsus destitutũ esse, sed auxilij tamen præstandi ratio & ordo constare debet. Vera charitas à se ipsa incipit, sed in se vna non desinit. Quin potiùs expandit se quousque potest, ad quemuis proximũ, & cuique pro viribus opem suã impartitur, & quod Ambrosius de liberalitate ait, fide, causa, loco, tempore commendatur. Quæ enim hæc charitas fuerit, vnam morbidam ouem in ouile admittere, & vniuerso gregi affricare scabiem? Si charitas virtus est (vt est proculdubio summa & diuina virtus) non potest carere prudentia, quæ veram virtutem quasi informat, dum necessa-

Hippoc. 1 aph. 1
Rom. 12.

riis circunſtantiis, vt ex Ambroſio conſtat, quibus vnaquæque abſoluitur, intenta eſt. Etſienim terminum non habet charitas, & vt dici ſolet, verus amor finem neſcit habere ſuum: tamen non ducetur temeritate, & quod modò dixi, non carebit prudentia. Qua autem ratione & quo ordine hoc charitatis officium adminiſtrandum putem, in ſequentibus dicetur copioſiùs. Hîc igitur libri primi finis eſto.



DE



DE OFFICIO FIDELIS ET PRVDENTIS MAGISTRATVS, TEMPORE pestilentiæ Rempub. à contagio præseruandi, liberandíque.

LIBER II.

De his in quorum ædes irruperit pestis.

CAPVT I.



ABSOLVTA ea parte, quæ magis eos, qui adhuc sani sunt, quàm ægrotos attinet, ac proinde προφυλακτικὴ quædam publica dici potest, restat, vt elegantium medicorum consuetudinē & methodum imitati, eodem modo de pharmaceutica, hoc est, de ratione curandi & liberandi dicamus: si fortè vel ex Deo immediatè, vel alia de causa ædes alicuius immanis hæc lues, & truculentus draco (vt Galenus eam vocat) inuaserit.

Neque tamen fingularia priuato cuique remedia præſcribenda quis hîc expectet: ſed id quod publico fidelis & prudentis Magiſtratus officio in hac re fieri debet: vt generali via inuenta, cõſtitutáque, qua tum ægrorum, tum eorum qui cum ægris verſantur, ratio habeatur, citiùs vniuerſum contagium extinguatur, & minus damni ciuitati inferat.

Præſenti ergo, & infeſtanti eiuſmodi malo, in priori quidem ſpecie ad Deum ſolum confugiẽdum eſſe, ab eóque omnem culpam deprecandam, ab initio diximus: in poſterioribus verò poſt Dei inuocationem illud primò omnium ac ſtatim conſeruatores curabunt, vt domus illa contaminata certis ſignis, vt expoſitis ad fores tædis, quæ gentium more mortuis præferri ſolent, vel fuſtibus, qui punitionem, vel faſciis ſtramineis, vel nigro, albo rubróve ſuſpenſo velo morbum mortémve deſignantibus, notetur: ſimúlque edicatur toti familię, ne egredi ad alios, neque quenquam ad ſe admittere auſint, ad minimum ſex vel ſeptem hebdomadarum ſpatio, ſiquidem interea ſufficiẽtem expiationem, quæ infrà diſtinctè tradetur, adhibuerint. Quod ſi quis ſua ſponte ad hos ingreſſus fuerit, eodem edicto tenebitur, ſed tempore breuiori. Interim ſi quid habebunt, quod foris agant, per alios fieri curabunt. Maiorem enim totius ſocietatis, quàm priuatæ familiæ rationem habere fas eſt.

Obiectio. Quòd ſi aliquis iniquum & durum eſſe exiſtimet,

ſtimet, homines ſanos tam arctè, ac tanto temporis ſpatio includi, præſertim in ædibus ab illa lethifera venenoſitate occupatis, magíſque conducere his quoque putet illud prouerbiale tripharmacum, citò, longè, tardè: denique neque ægris ipſis conſultum eſſe, præſertim ſi habitatio minùs ſit cõmoda, ita concluſos manere, ac non interdum liberiori aere frui (non omnes enim lecto decumbunt:) hæc ſanè qui dicunt, neque nihil, neque omnia dicere videntur. Nam & ipſe minimè tutum eſſe arbitrôr, infectorũ conſuetudine frequenter vti, ac aerem inquinatum aſſiduè haurire. Ergo quibus rationibus hiſce anguſtiis incõmoditatibúſque remedia inueniamus, quæ dum nemini nocere poſsint, multis valde profutura ſint, ſequẽti capite diſpiciemus: liberam enim poteſtatem iis concedi inter alios conuerſandi, nimis temerarium ac barbarum fuerit, & ferè, quod Lutherus in hac quoq; cauſa dicit, illos imitari videremur, qui pediculos in pelles, aut muſcas in cubile immittere, vel ignẽ in ſinu fouere velint, niſi quòd hæc leuiora ſunt, quàm vt cum hoc malo cõferre poſsint. Et cùm manifeſtè deprehendamus, vnicam hanc ἀταξίαν ferè in cauſa eſſe, quòd contagium plerũque tam celeriter, tam longè latéque ſpargatur, non eſt vllo modo committendum, vt noſtra culpa & negligentia ipſi vulnera noſtra augeamus. Non quòd negem, peſtem aliquando communis aeris putrefactione exiſtere (quod rarũ *Reſponſio.*

tamen eſt,& multis ſenio cõfectis inexpertum) ac ſtatim quàm plurimos,ſparſimq́; ſine contagio apprehendere:neque etiam quòd ignorem, iratum noſtris peccatis Deum hoc flagello interdum aduerſum nos vti, & ad vitæ emendationem cogere, ſuiq́; obſeruantiæ nos admonere(hoc enim profanis ſimul &ſacris hiſtoriis cõſtat) non,inquam, iſtud inficior, neque hîc humana remedia multum prodeſſe affirmo, ſed hæc rariùs accidere ſperandum eſt, & cùm accidunt,ſatis euidẽter & peculiaribus ſignis ſe produnt. Quemadmodum de AEthiopia conſtat teſtimonio Thucydidis:item quum Deus puniuit exercitum Maximini, perſequentis Chriſtianos, tanta morientium multitudine, vt inhumata corpora paſsim relinquerentur. Quod & de copiis Dauidis refert hiſtoria regum. Quis hæc velit diffiteri? Sed iterum repeto, raró hæc videntur, & noſtrati peſtilentiæ parum conueniunt,cuius initium, cauſam, progreſsúmque, quoniam plerunque ſatis euidenter poſſumus deducere, ob id tantò maiorem diligentiam ac curam adhibere debemus, vt quod noſtro vitio & culpa mali nobis accerſiuimus, aut ignauia admiſimus,pari quoque ſtudio atque induſtria corrigamus & profligemus.

2 Reg. 24.
Eccleſ. hiſt. 9. cap. 9.

Quamobrem, cùm iam ita domus illa notata, & quaſi lepræ contagioſæ damnata fuerit, domeſtici vel ſponte ſua, priuatóque ſumtu, ſi ſoluendo ſunt: vel conſeruatorum hortatu ac impenſis,

pensis, si inopes, medicorum ad id constitutorũ auxilium ilico adsciscent, fusisq́ ad Deum precibus, non grauatè, sed hilariter ac bona spe in omnibus, quibus opus erit, admittent. Credendum enim, quod boni in ea re largiturus est Dominus, id plerunque per medicos, tanquam ministros suos dare, haud secus quàm paterfamiliàs solet cibum potúmque per architriclinos familiæ suæ, largiri & distribuere. Medici enim & medicina Dei ministri ac creaturæ bonæ sunt, quibus, iubente Apostolo, cum gratiarum actione vtendum est. Quam causam liceat mihi bona lectoris venia, propter quorundam imperitorũ iniquum iudicium paulò fusiùs (etsi extra causam) hîc tractare. *Eccles. 38. 39.* *Leuin. Lē. de lib. bibl. cap. 1.* *Sapient. 8. cap. 2.*

In primis enim Iesus Syrach, inter Hebræos vir pietate, prudentia, & rerũ cognitione, deniq́ diuino Spiritu insigniter præditus, sic scriptum reliquit: Honora medicum, nam propter necessitatem creauit illum Dominus. Medicina ab Altißimo est, & à rege accipiet munera. Dominus è terra creauit medicamẽta, & vir prudens non contemnit ea. Da locũ medico, Dominus enim illum creauit, hæc Syrach. Quid, obsecro, hîc sibi vult ingeminata illa, ac sæpiùs repetita vox creationis, quid origo & commendatio, nisi vt Dei munũs esse medicum & medicinam intelligamus, quoq́ non liceat modò, sed deceat etiam vti, dum opus est, & necessitas requirit? Illos verò imperitos esse, & cõsilij Dei admodum igna- *De vsu & laude medicinæ.* *38. 39 cap. Exod. 20.* *Hipp. li. de veteri medic.*

ros & ſtupidos, qui ſuperuacaneam medicinam iudicant & inutilem, cùm haud dubiè humano generi ſanitatis conſeruandæ & reparandæ gratia diuinitus data ſit. Hinc & gentes agnouerunt eius pręſtantiam, dum ipſius inuentorem non hominem, ſed Deum fuiſſe ſcribunt. Apollinem enim, quem autorē eius faciunt, pro Deo coluerunt: & Aeſculapium filium Apollinis, qui eam paulò ſubtiliùs excoluit, propter inſignem eo tempore artis peritiam, ſimili honore dignatæ ſunt. Homerus verò etſi originis non meminit, pulcherrimo tamen elogio nobilitare non dubitat, dum inquit:

Scrib. Lar. de compoſ. med.

Polydor. de rerum inuentorib. 1. cap 20,

Cornel Celſ. lib. 1.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, id eſt,
Vir medicus multos virtutibus anteit vnus.

Quod agnoſcentes veteres Romani Imperatores, medicis in ſingulos annos ampliſsimum ſtipendium, ducenta & quinquaginta ſeſtertia (vt refert Plinius) pendebant, cùm reliquarum artium Profeſſoribus centena tantùm numerarent: quamuis temporibus conſequentibus, rurſus lege lata ex vrbe fuerint proſcripti. Quod propter quorūdam imperitorum audaciā, qui medicina abutebātur, ſancitum eſt. Homines enim auari, magna ſpe lucri accenſi, & excæcati præcipites ſæpe ferūtur ad quidlibet audendū, & aliquando non abſtinent ab eo quod nefas ſit narrare. Qui neque Hippocratici iuramenti, neque honoris aut ſalutis ſuæ & aliorū memores, tāquam latrones graſſantur, vbi liberè illis ver-

Lib. nat. hiſt. 29. ca. 1.

ſari

ſari licet. Nos verò qui luce Euangelij illuſtrati, res ſingulas non abuſu, ſed legitimo vſu æſtimare debemus, medicina ita vtimur, vt agnoſcamus non humano conſilio, ſed diuino beneficio vitæ prorogandæ, quoad externa præſidia, eſſe propoſitam. Grauiſsima & piiſsima eſt cenſura, & huic noſtro negotio apposita doctrina Lutheri in libello Germanicè, anno 1527 de peſte VVitebergenſi edito: Deus (ait) creauit medicinam, ac donauit mentem, vt quiſque ſui corporis curam haberet, valeret ac viueret. Quicunq; his vti non vult, quando citra proximi damnũ poteſt, is prodit propriam vitam, & parum abeſt quin homicida coram Deo efficiatur. Eadem enim ratione cibum & potum, veſtitum & domicilium contemſerit, & nimium fidens ſuæ fidei, dixerit, Si Deus vult, poteſt me ſine hiſce omnibus conſeruare. Quo abſurdo illud adhuc grauius eſt, quòd qui ad hunc modum corporis ſui curam abiicit, neq; peſtilentiæ remedium, quod poteſt, quærere vult, etiam aliis hac negligentia ſua officere & intoxicare poteſt, qui fortè, ſi hic ſibi conſuli paſſus fuiſſet, illæſi & viui permanſiſſent. Quo fit, vt interitus alieni culpam ſibi acceſſat, & Deo homicidium committat. Eiuſmodi homines reuerà non aliter agũt, quàm ſi quis igne flagranti ciuitati nolit ſubſidio venire, ſed incendio det locum, vt vniuerſa vrbs conſumatur, hac ſcilicet fiducia: Si quidem Deus vult, poteſt abſque aqua ignem extinguere. Haud

quaquam ita agendum, amice, imò turpe & iniquum eſt, quod tibi perſuades: quin potiùs medicamentis vtere, facitóque quicquid quoquo modo poteſt auxiliari, ſuffumiga domum, hortum & plateam, fuge loca funeſta, hominéſque infectos, vbi tua opera non requiritur, ac ita te gere, vt qui publicum incendium non fouere, ſed reſtinguere velit &c. Nam quæ ſequuntur, etſi ſint eleganter dicta, tamen hoc tempore prudens omitto.

Faceſſat ergo iſtæc plus quàm barbarica opinio & Cyclopica obſtinatia, qua plerique medicinam velut ſuperuacaneam, vel artem ſolùm χρηματιστικὴν, vt & reliquas omnes liberales diſciplinas, ac ipſam quoque philoſophiam, tanquam σοφιστικήν τινα (quod & Plato aliquando *In Gorgia.* non rerum, ſed perſonarum profitentium culpa facit) appellant, infamántque.

Eſa. 38. Quòd ſi verò quis dicat: Si tam neceſſarius, *2. paral. 16.* &, vt ais, diuinus vſus eſt tuæ medicinæ, cur ipſus ille Syrach, quem citaſti, in eodē abs te ad- *Obiectio.* ducto loco, ægrotos ad Deum iubet ire, & ſanitatem precibus flagitare? Cur S. Ignatius piiſsi- *Epiſtol. ad Epheſ.* mus epiſcopus & martyr, vnum Chriſtum medicum carnalem & ſpiritualem, atque in morte *Theodor. dialog. 1.* etiam (taceo in morbo) veram vitam appellat? Sed ſuggeram etiã ipſe aduerſariis telum, quod non exigui apud me momenti eſt: Cùm ex Italia abirem, vir inſignis Sebaſtianus Laudus, medicinæ Profeſſor Patauinus, & meus præceptor, (quem

(quem honoris causa nomino) pro perpetua suę in me fidei memoria, libro meo sua manu inscripsit: Memento solum Deum curare morbos. Si igitur solus Deus, quid opus est aliis? an Deus subsidiariis ministris eget? Si Christus vnicus medicus, qui languores nostros aufert, vt testis est Propheta, & vt ipse tot exemplis testatus est in nouo suo Testamento, quē requiramus præterea? Frustrà certè fit per plura, quod per pauciora fieri potest. Et huius quidē sententiæ permulti etiam inter Christianos reperiuntur, Euchitis antiquis hæreticis non dissimiles. Sed respondeo: Etsi Deum nullius auxilio egere, sed potiùs vnicum & verum medicum tam corporis, quàm animæ esse, ab illóque omnem sanitatē pendere, & petendam esse fateamur: tamen nihil obstat, quò minùs Dominus & magister famulis suis multa commendet, pérque ipsos agat, quæ vult: sicut & quilibet artifex instrumētis vtitur, quibus tamen effecti operis laus propriè non debetur, neque asscribitur. Et dixi antè, rogari Deum velle à nobis, & sine mediis sæpe nihil velle dare, quæ media in hunc finem cō didit, vt iis ad nostram vtilitatem vteremur: quemadmodum & Christus ipse, & sancti Dei homines, quando consequi potuerunt (alioqui gratia & potentia Dei non est illis alligata) iis vsi sunt, & vti consueuerunt. Quamobrem, quòd hi vnum Deum morbos curare asserunt, ad principem causam referendum est, quæ est Deus, nō

Esa. 38.
4 *Reg.* 20.
Tob 6. 11.
3 *Reg.* 4.
8 *Joseph.* 2.

ad instrumentariam, vt sunt homines. Syrach autem cùm initiò illa ipsa instrumēta & media tanquam diuina & salutaria media celebrasset, ne quis istis nimium fortè confisus velut principalibus causis adhæreret, ac Dei obliuisceretur, in fine capitis, quasi iam in vsu earum rerum nos admonet, vt Deum toto opere nostro præ oculis habeamus, ipsum precibus sollicitemus, ac prosperum successum ab eo postulemus. Ac si diceret, medicina quidem præclara & diuina res est, sed absque virtute & gratia Dei (quæ virtus solis precibus impetratur) non edit fœlicē profectum. Quæ mens haud dubiè quoq; fuit illius, licet profani medici, Herophili, quando ait, medicinam & nihil esse, & rursus manum Dei esse: nihil (inquam) vt ego quidem intelligo, per se ipsam: manum verò Dei, cum gratia & efficacia Dei coniunctam, & tempestiuè, rectéque vsurpatam. Quo quidem mea opinione nihil rectiùs Christianiúsque potest dici. Atque idem, si magna cum paruis licet componere, de mediis illis, quæ ad animæ salutem, vt hæc ad corporis valetudinem, proposita nobis sunt à Christo, dicere possumus. Tametsi quidam, qui cornicum oculos configere, vel Ioui ignem è cælo suffurari se posse putant, horum quoque dignitatem valde & impiè extenuare solent, quum tamen magno conatu nihil aliud quàm abusum & vtentium vitia proferant, solúmque fœtorem Astrodutiorum & Messalianorum prodant.

Sacramēta & medicamenta media sunt.

Theod. 2. fabul. hæres.

Verùm

Verùm ne quis me propriæ causæ seruire putet, dum tam accuratè pro medicina perorantẽ audit, non prosequar ampliùs rei per se satis laudatæ encomiũ, sed vnum adhuc præsenti capiti articulũ adiungam, valde, meo iudicio, in hac causa necessarium. Quærat enim aliquis, quoniam tam studiosè vitandam omnem pestiferorum consuetudinem suadeo, quî nam ergo cum illis mulierculis, quæ in hisce infecti ædibus seu sanæ, seu ægræ parturiunt (quod equidem compluribus euenisse, quæq; magna ex parte mortuæ sunt, viuus testis esse possum) agendum censeam? Illæne à vicinis destitui debent? Quæ simi lis inhumanitas post hominum memoriam vnquam sit audita? Hîc duplici responso opus est. Primùm si quæ volunt non temeritate, sed charitate & amore Christiano ductæ (quem certè mutuum nobis debemus) accedere, id ita fiat, vt postea non imprudenter mox ad familiam suam redeant, nisi mutatis vestibus, & ad cõstituti temporis spatium saltem ab alienorum con suetudine abstineant. Secundò quòd magis spectat ad institutum nostrum publicum, volo cõseruatores nostros hîc quoque rationẽ certam tenere, vt obstetrices & alias honestiores paulò fœminas, in primis verò vxores ministrorum Ecclesię, chirurgorum, pharmacopæorum, medicorum, ac eorum quoque, quos mortuis efferendis, sepeliendísq; pręficimus, si quæ idoneæ sint, & id facere voluerint, conductas habeant,

Eccl. 3.4.7.
Rom. 12.13.

quæ id muneris obeant. Itaque nullatenus humana ope carebunt, licet non ſemper præſentes habeant, quas tempore ſanitatis habere ſolent, exemplo earum, quæ propter elephantiaſin ab hominum conſortio ſeparatæ ſunt. Nihil igitur ampliùs requirant ab aliis, quàm alias ab ipſis in hoc ſtatu rerum poſtulare vellent. Sic enim charitas iubet, non quærere quæ ſua ſunt, ſi abſque damno & periculo proximi fieri nequeat.

De ædificiis publicis Lœmodochiis vocatis inſtaurandis.

CAPVT II.

SOLLICITVS ſum præcedenti capite, me rationem traditurũ, qua illis, qui ex infectis ædibus egredi malunt, vel ægris, qui cupiant mutare aerem, vtiliter conſulatur. Quod vt aptè & prudenter fiat, aliquid maius & ſumtuoſius moliẽdum eſt noſtris Conſeruatoribus. Volo enim, vt duo ſatis ampla, atque omni ex parte ad rem apta ædificia, lœmodochia nominanda, conſtruantur, ex materia idonea, in loco aeréq;, tum ipſis, qui vtentur, tum ciuitati opportunis: ita tamen vt non tam ſplendor, quàm commoditas quæratur,

tur, & ſumtus ſit mediocris, vſúſq; neceſſarius: de quibus ſingulatim breuiter agendum eſt.

Ac primùm materiam quod attinet, erit illa non argilla, lutum, ceſpites aut ſtramen, ſed ligna, lapides, calx: quòd in illis putredo faciliùs accidat, & contagium diutius hæreat, quàm in his. *Materia Lœmodoc.*

Secundò de loco ac ſitu, cui annexus eſt aer, iſtud obſeruandum eſt, vt vel in vrbis remota aliqua parte, vel, quod malim, extra vrbem ſit, non humilis, ſed apricus ac editus, & ſi fieri poteſt, ad flumen. Remotio enim ab aliis, contagij impedimentum præſtabit: ſublimitas aerem dabit ſalubriorem, & Solem, qui omnia recreat, magis obuium: flumen verò vniuerſas excipiet ſordes & excrementa, quæ in eiuſmodi domiciliis affatim ſolent coaceruari. Huc quoque pertinent ampla in procinctu pomæria, viridaria, horti, in quibus ſalubres arbores, iucunda gramina, odoriferæ herbæ, flores ſuauiter & latè ſpirantes, ſalientes demum aquæ adſint. *Locus.*

Ratio verò & forma ædificationis ea meditanda, quam, vt dixi, commoditas & neceſsitas deſiderent, non magnificentia. Seruanda ergo ea amplitudo, quæ proportione non Geometrica, ſed arithmetica reſpondeat ciuitati. Altitudo ſit duplo maior latitudine. Sint quoque intus cubilia mediocri amplitudine, inſtructa caminis, perflabilia, non obſcura, neque concluſa. Feneſtræ, vt & totum ædificium, *Forma.*

patentes magis Aquiloni & Orienti, quàm Austro vel Occidenti, adſint & balnea, quorum magnus in cauſa noſtra vſus eſt. Atque hæc tota ſtructuræ ratio ad multa pertinet, & manifeſtè oſtẽdit, quàm grauis ſit eorum error, qui vulgaria noſodochia ita inſtituunt, vt ventus non poſsit penetrare: quo nulla res in hoc maximè morbo pernicioſior cogitari poſsit. Nec mirum eſt, ſi ſæpe pauperculus huc delatus tantò citiùs occumbat. Nam etſi non hac lue, ſed vel alio quovis leuiori morbo, vel etiam ſimplici febre laboret: tamen impuro illo aere exceptus, fœdis, fœtidíſq; veſtimentis & lectis ſtratus; quaſi ſuffocari & violenter mori videbitur. Non dicam nunc, quàm parum prudenter cibo potúque, & aliis rebus neceſſariis, iis qui hîc decumbunt, ſæpe conſulatur. Cuius negligentiæ rationem reddẽt Deo, qui his officiis præfecti tam perfidè agunt, cùm nõ exigua cauſa ſint miſerorum ægrorum interitus. Adhibenda ergo diligentia, ſiquidem fieri poteſt, vt omnia eiuſmodi domicilia ad torrentem aliquem inſtaurentur, & in loco (vti dictũ eſt) vento & aeri expoſito, vt perflari queãt, & res inquinatæ ſæpe elui & mundari poſsint. Impurus enim aer etiam ſanis plurimum poteſt obeſſe, quod experientia quotidiana oſtendit. Item in altiori loco extruenda dixi, cum multis feneſtris, præſertim qua parte Septentrionem, vnde ſalubrior aura eſt, ſpectãt. Feneſtras etiam crebrò aperiendas eſſe, admonitione non eget:

De vulgaribus noſodochiis.

res

res enim ipſa id docet. Quæ omnia ſi nō obſeruātur ſedulò, plus damni, quàm commodi allatura fuerint, & conſultiùs eſſet igne ſuccendi (loquor de vulgaribus noſodochiis) eiuſmodi peſtilenti ſtatu, quàm cum damno ferri, vt eſt non tantùm medicorum, ſed & philoſophorum, & in Rebuſp. prudentium virorum conſilium. M. Varro cùm aliquando Corcyræ eſſet, & paſsim in omnibus ædibus ægroti decumberent, inducto feneſtris nouis Aquilone, atque obſtructis quæ auſtrum ſolent admittere, permutatáque domus ianua, comites ſuos & totam familiam incolumes ſeruaſſe ſcribitur. Sic Tholoſa Aquitaniæ vrbs, epiſcopatu, academia, & ſumma curia nobiliſsima, cùm ferè perpetua peſte infeſtari ſoleret, quòd ædes in ſummo verſus plateas publicas propendiculis quibuſdam (ſub quibus tuti à pluuia ingrediuntur) conſtructæ impedirent euentilationem, edicto regio omnibus incolis mandatum eſt, vt non tantùm illas propēdices remouerent, ſed ædes etiam ipſas quæ nimium viderentur publicam viam coarctare, ab imo vſque ad faſtigium præputarent, & contraherent. Mirāda induſtria celeri actione quiſque inſtat operi, dixiſſes totam vrbem voluiſſe excindere & renouare. Quid verò effectum? Dicam quod verè dicere poſſum, oculatus enim fui teſtis, ventis liberiori parato aditu, vaporū exhalatio difflatióque pulchrè fuêre procurata, peſtilentiáque ſolito longè infrequentiùs

Tholoſa Vrbs Aquitaniæ.
Leu. Lē. 3. de occ. nat. mirac. 3.

ciuitatem infestauit, & leuiùs afflixit. Rarum prudẽtiæ exemplum, quod licet non fieret absq; ingenti sumtu, tamen sicubi res postulauerit, imitatione non indignum est, nostris in primis lœmodochiis, in quorũ institutione faciliùs caueri poterit, vt ita ædificentur, ne diruere postea sit opus.

De pernicie aeris conclusi.

Ac quoniam semel ingressus sum dicere de pernicie aeris conclusi, operæpretium me spero facturum, & lectori tædium leuaturũ, si pauculas quasdam, & quidem horrendas de ea re historias adduxero. Apud Hier. Cardan. de variet. rerum sic legitur: Vigesima tertia Iulij die, anni 1556 accidit res mira, cui ego interfui: Iacobus Philippus Cernuscus mẽse ab hinc exacto, cloacam sub terra effodi & concamerari iubet, fornicibus extructam. Vbi perfecta est, vt fornix consolidaretur, concludi iubet. Post viginti dies aperit, iubet vt lignei arcus extrahantur: descẽdit conductor scala immissa, vbi ad medium scalæ peruenit, concidit mortuus. Dominus cùm videret illum non reuerti, & ipse descendit, ac vbi eò peruenit, statim concidit. Adstantes tertiũ immittunt, qui cùm in medio scalæ esset, dixit: Bono animo estote, etiam reliquos educam: sed vbi sub fornice caput eduxit, statim mortuus concidit. Concidit & quartus. Quintus, qui vocabatur Matus (sonat nostra lingua stolidum) vir admodum robustus descendit, sed caput nõ condidit, vncóque extraxit vnum è mortuis.

In append. ad fin. 9. ca. & lib. 1.

Inde

Inde factus audacior, rediit, descendítque eò dum vt caput conderet, statímque corruit. Hunc extractum adhuc spirare deprehendentes, paulatim auxiliis adhibitis reuocauerunt ad vitam, sensúmque, mutus tamen ad sequentem ortum Solis mansit. Ego, cùm loqui cœpisset, interrogaui, sed ipse solùm, quòd descendisset, recordabatur: immiserunt & canem, semimortuus extractus est. Detexerunt mandato Magistratus locum, tutò ex ore antri aqua scaturiens inspicitur. Hæc Cardanus. Quoniam autem causa nulla certa apparebat, erant qui basiliscum inibi latitare arbitrabantur, qui vulgi opinione ouo è Gallo nato, & bufonis incubitu excubato creditur: quod ego libenter cum erudito & politissimo scriptore L. Lemnio medico Ziricæo anilē *Lib. 4 de* sabulam esse iudico: Cùm halitus potiùs virosi, *occ. natur. mirac. 12.* pedor, situs, graueolentia, fœditásque sint, quæ *Diosc. 6. ca.* è tetris horridísque locis emanēt, spiritum inter- *vlt. & in* cipiant, atque hominem nonnunquam stran- *hunc Matt.* gulent. Etsi etiam aliquando venenatas bestias, *ibidem.* quæ in huiusmodi cauernis delitescunt, id facere, non est quod quis ambigat. Simile huic mihi olim est narratum à teste oculato, & omni exceptione maiori, videlicet reuerendæ memoriæ, illustrissimo, reuerendissimóque D. D. Georgio Duce Brunsuicensi & Episcopo Bremensi &c. de fonte quodam Petershagij (quæ est arx Episco- *Fons Pe-* patui Mindensi subiecta) prorsus funestam ex- *tershagij.* pirāte Memphitin, qui cùm à sordibus aliquādo

expurgaretur, quicquid viuens immittebatur, mox suffocabatur, & per mortẽ (vt cum Plinio loquar) experimentum agebat, ídq; eousq;, donec tandem iniecto, incensóq; vase, pice nauali, herbísque & floribus odoriferis referto, sic expiatus est, vt postea sine damno in eum esset ingressus, & scaturiente ipsius aqua, quiuis absque noxa vteretur. Cum his historiis congruit illa de lacu Puteolano prope Neapolim, in quem iectus canis, exiguo temporis spatio moritur: si rursus extractum, in vicinum fluentum immergas, reuiuiscit. Item illa, quam egomet Menapis vidi, in dominatu Burchbrull (qui paret nobilissimo, & tam omni virtutũ genere, quàm prosapiæ antiquissimæ, clarissimæq; laude præstanti Guilielmo à Braunsberg) de quadam cella vinaria recens extructa tam grauem odorem eructante, vt nulli vsui seruire posset. Sed plura huiusmodi adduci possent, si prolixitatem non vitarem. Ergo hæc satis sint de materia, situ ac structuræ forma: pergam de censu, numero & vsu, quæ necessaria sunt referre.

Lacus Puteolanus.

Guiliel. à Braunsberg.

Quartò ergo de opibus, quibus lœmodochia nostra instruenda sint, prouidendum: quæ quidem pro statu & viribus singularum ciuitatum semel constitutæ, paulatim, vt sperandum, bonorum hominum liberalitate fient maiores, & crescent indies. Quamuis non aliæ hîc diuitiæ quærantur, quàm quæ ad subleuationem eorũ qui egent, & structuræ conseruationem necessariæ

riæ ſint. Et quia non ſemper peſtilentia graſſatur, ob id neque annui ſumtus faciendi erunt, niſi quod dixi, quãtum ad reparationem requiretur: ſi quid ſupererit, id vel in futuram neceſſitatem reponetur, vel in aliorum egenorum vſum erogabitur.

Duo autem eiuſmodi ædificia inſtaurãda eſſe ab initio dixi, vnum videlicet pro illis, qui adhuc ſani ſunt, & tamen ob conſuetudinem domeſticam, quam cum ægris habuerunt, ſuſpecti & metuendi: alterum verò pro iis, qui peſte infecti decumbunt. Ac in reliquis quidem paria eſſe licebit, ſed ſpatio conuenienti diſiuncta. Nam etiam parietum procinctu, ac domuum contingentia & cõtinuatione multiplicari morboſam contagionem obſeruatum eſt. Eo autem ordine diſiuncta erunt, vt alterum alteri in recipiendo vento boreali, ac Solaribus radiis minimè officiat, neque impedimẽtum aliquod præbeat admittendæ liberæ auræ: præcipuè autem ne Auſter ex ægrorum domicilio vllum fœtorem vel vaporem morbidum & peſtilentem in ſanorum fundum ſuo flatu deferat. Propterea etiam ex hac parte aut nullas eſſe, aut clauſas feneſtras, erit conſultiùs.

Atque hinc iam quoque (quod poſtremo loco fuit propoſitum) vſus harum ædium apparet. *Vſus læm dochierũ.* Cùm enim morbum hunc omnibus modis vitandum cenſeamus, tanquam præſens & lethale

venenum,quod,niſi diligenter caueatur,certiſ-
1. ſimè inficit,ob id prior finis nouæ huius ſtructu
ræ erit, vt eos excipiat, qui velut lepra mortali
infecti ſunt,quo reliqui ciues tantò ſint ſecurio-
res.Quod quanti ſit momenti, ſi quis mihi cre-
dere vult,qui neque mentiẽdi cauſam vllam ha
beo,& doleo multos eſſe, qui in ſuis libris valde
mentiuntur(liceat mihi ſic cum Galeno, ſanǫ́q;
meæ conſcientiæ teſtimonio loqui) pluribus ve
riſsimis hiſtoriis, quas partim ipſe vidi & vixi,
partim à fide dignis audiui, poſſum demonſtra-
re.Cùm enim puer adhuc in vrbe Dauentria,v-
bi tum ſchola florentiſsima fuit, humanioribus
literis operam darem, correptus eſt peſte vnus
inter ſcholaſticos, qui ædes fratrias incolebant,
cognomento propter ſingulare corporis robur,
Hercules,meus cõtubernalis, qui, quòd matu-
rè in locum priuatum, ad quem aliis acceſſus
non erat,remoueretur,nullus præterea hac lue
fuit infectus, aut interemtus. Deinde quando
Coloniæ adoleſcens in artium collegio philoſo-
phiæ ſtuderem,nobilis quidam commilito no-
ſter, vnus è multis, cùm nulla id temporis epi-
demia ibi eſſet,peſte interiit: nimirum quòd co-
gnito eius morbo,ilicet in peculiarem & ad hoc
deſtinatum locum deportatus fuerit. Tribus ab
inde ànnis, cùm Lutetiæ in collegio Monachi
habitarem,vidi inter duo puerorum millia, ſo-
lum coquũ hoc morbo affectum, ac mox ſeor-
ſum in tuguriolum remotum, quod in amplo
pomario

pomario ad hunc vſum erat ædificatum, occumbere, reliquo cœtu prorſus incolumi permanēte. Tandem Venetiis & Patauij præclariſsimis in ciuitatibus, quarum ſæpe meminiſſe iuuat, quando illic medicorum ſcholas frequētarem, grauia vtcunque initia peſtilentiæ vidi, quæ tamen hac prudentia & in eiuſmodi habitacula ſeparatione (habent enim ea ſemper inſtructa) ac ſanorum ægrorúmq; ſequeſtratione, præter alia induſtriæ genera, breuiſsimo tempore, magna ex parte fuêre ſedata. Adeo verum eſt, quod prouerbio dici ſolet: Ignem fugiat oportet, qui vult effugere fumum.

Secundus finis magis ſeruiet his, quos propè quidem eſt periculum, ſed qui nondum tamen eo ſunt polluti. Cùm enim multorum ædes valdè ſint incommodæ, magíſq; ad fouendā, quàm corrigendam putredinem aptæ: item cùm homines, qui eas incolunt, ſæpe tenuis fortunæ vel perſonæ ſeruiles, vel natura imbecilles ſint, qui etiam ad nomen tanti morbi exhorreſcunt, vnde maiori quoque in diſcrimine verſantur, ſic hos è funeſtatis ſuis educi velim, vt continuò in lœmodochium traducantur, atque hîc eadem omnino ratione tractentur, qua antea, cùm in propriis ædibus incluſi eſſent, tractandos dixi, niſi quòd hîc liberum aerem, & exeundi poteſtatem habere poſsint, ſi prodire foràs animi recreandi cauſa voluerint. Quot dies verò ad mundificationem eorum, qui ita deducti ſunt, 2.

requirantur, vt liberè in vrbē & hominum frequentiam redire poſsint, quoniam non ſatis tutò omnibus idem temporis ſpatiũ præſcribi debet, aut poteſt, medicis tanquam huius feræ lepræ presbyteris hoc iudicium relinquendũ eſt. In quam ſententiam ſic loquitur Lutherus in libello de peſte, eandē tractans materiam, quam nos in præſentiarum præ manibus habemus: Si Deus (inquit) in veteri Teſtamento, eos ſeparari, & extra oppidum ſeduci iuſsit, qui lepra inquinati erant, ad euitandum contagium, quantò iuſtiũs ergo nos idem in hoc periculoſo morbo faciamus, vt ſtatim ſimul atq; aliquis ea afficitur, vel ſua ſponte ſe ipſum remoueat, remouendúmve curet, quò tēpeſtiuè contagium extinguatur, non vnius illius ægri tātùm, ſed totius ſocietatis ac vniuerſæ vrbis, quæ, ſi infectis ad alios exeũdi libera detur poteſtas, hac ratione poſsit contaminari. Nam talis eſt noſtra hoc tempore VVitebergenſis peſtis (loquitur autē de anno 1527) tantùm videlicet ex contagio vt orta, ſic hucuſq; progreſſa videatur. Aer enim (laus Deo) adhuc purus & ſalubris eſt, meráq; temeritate & negligētia pleriq;, & quidē perpauci infecti ſunt: quãuis inſolito terrore Sathan nos turbet & puſillanimes reddat. Ludit (enim) in humanis vario aduerſarius aſtu cordibus, & vano concutit illa metu.

Hoc ergo conſiliũ viri prudētiſsimi nō parui faciendum, ſed ſedulò imitandũ ego quidē cenſeo,

ſeo,quamdiu cōmodè poſſumus, cùm videlicet morbus adhuc in principio eſt,& necꝫ plurimos, necꝫ in pluribus partibus remp. inuaſit: quò hoc noſtrū conſiliū potiſsimè tēdit,vt ſit magis præcautio huius mali,quàm eiuſdē experientia. Nā cùm mala per longas inualuêre moras, vix prudenter & cōſtāter aliquid fieri poteſt,ſed temerè itur,& multa ferenda ſunt: ſicut multa temerè rimatur nauclerus,cùm mare iam ſulcās, incertus eſt periculorum & ſalutis. Non quòd vnquam à recta ratione, etiamſi ſucceſſus pro ratione non reſpondeat,velim recedi, quod planè & ex diametro cōſilio reuerendi ſenis Hipp. noſtri repugnaret: ſed fit,fit (inquam) vt quemadmodum in feruore belli, & inter arma (vt dici ſolet) leges ſilent, ſic quocꝫ in hac anguſtia ac triſti rerum ſtatu exiguus reſpectus habeatur, vel optimi rectiſsimíqꝫ ordinis. Nam ſicut ibi modò vexillifer, modò anteſignanus, aliquādo triarij aut tribunus, nonnunquam & dux ipſe militiæ, cuius nutu omnia rectè gubernari ſolent, ex improuiſo è medio tollūtur: ita hîc, vbi ſtrages nō minor, ſæpe etiam maior accidit, non tantùm vulgares ciues, ſed ipſi quocꝫ nonnunquam, penes quos hanc, quam deſcribimus, politiam adminiſtrandi autoritas eſt, inſperatò abripiūtur, atque vnà cum gubernatore perit clauus. Cui fortunæ, vt tempeſtiuè occurratur, hæc noſtra qualiſcunque inſtitutio ſuſcepta ac propoſita eſt.

Eccleſ.18.
Perſ. Sat.3.
2 aph. 52.

An Christianis tempore pestis fugere, & suam ciuitatem relinquere salua conscientia liceat.

CAP. III.



TSI autem in hanc de separatione contagiosorum materiam, multa iam dixisse videor: tamen propter causæ affinitatem, & sentētiarum varietatem, annectam peruulgatam quæstionem, non modò à Theologis, sed etiam ab eruditis & Christianis medicis disputatam, videlicet, vtrùm tēpore pestis suam ciuitatem aliquandiu deserere ac fugere sana conscientia liceat. De qua re quia diuersæ sunt opiniones, recitabo breuiter & perspicuè vtriusque partis argumenta, & tandē subiungam quoque meam sentētiam, quæ media erit inter vtramque, & collecta ex disceptantium fundamentis.

1. Priores ergo aiunt, de nullo constare sanctorum, qui mortem non metuerit, proinde morbum etiam, præsertim tam lethalem metuisse, & si potuissent, fugere voluisse, verisimile est. I-
2. mò naturæ lege hoc vsitatum nobis esse, non disci-

Licere peste fugere.

diſciplina hominum hauſtũ, vt mortem timeamus. Nam Apoſtolus ait, neminem vnquã ſuam ipſius carnem odiſſe, ſed potiùs nutrire, fouere, omnibúſq; modis tueri & cõſeruare. Abraham metu mortis (aiunt) ſuam vxorẽ Saram ſororis *Eph.4.*
nomine appellauit, & mentiri maluit, quàm vitæ ſuæ periculum accerſere. Iacob fugit in Me- *Geneſ.20.*
ſopotamiam, ne incideret in manus ſui fratris *Pſal.3.*
Eſau. Idem Dauid facit, dum Saulem regem & Abſalonem filiũ ſuum fugeret. Elias audaciſsimus alioqui vir, & qui paulò antè ſua manu Prophetas Baali occiderat, Iſabelis tamẽ reginæ minis territus ſubduxit ſe in deſertũ. Moyſes cùm *Ruth. 1.*
quæreretur à Rege Aegyptiorum, in Midiã pro- *Leuit. 26.* *Ezech. 5.*
fugit. Præterea non tantùm mortem (inquiunt) *4.*
licet vitare, ſed alia quoque Dei indignantis fla- *Hierem. 14*
gella, vt famem, tyrannos, incendia, aquarum *Deuter. 28.*
inundationes, frigora, æſtus, captiuitatem, feras, deniq; omnium morborum genera, febres, dyſenterias, ſqualores, elephantiaſin, luem veneream &c. Quæ cùm ita ſint, multò magis peſtem & mortẽ fugere licebit. Deinde non omnes 3.
ſunt æquali vel corporis vel animi robore præditi: aiunt proinde, iniquum fuerit idem ab omnibus exigere. Robuſta fides venenum inno- *Marc. vlt.*
cua bibit, quo lacteſcens fides interiret. Petrus confidens in mari ambulabat illæſus, idem paulò poſt hęſitans cœpit ſubmergi. Ac Chriſtus nõ vult infirmos cõtemni. Præterea omnium me- 4.
dicorum doctrina conſtat, contagij eam eſſe na-

turam, vt de vno ſubiecto in aliud quod proximum & ad recipiẽdum aptiſsimũ eſt, per debitum conueniénſque interſtitium tranſiens inficiat, contaminetq; hoc ipſum: duo enim, nempe ſubiecti aptitudo & propinquitas requiruntur, vt fiat impreſsio. Ergo cùm peſtem eorundem iudicio, quotidianáque experientia conſtet eſſe morbum contagioſiſsimum, quippe qui putridi venenoſiq; aeris inſpiratione contrahi ſolet, cõſulunt quoque illi quidem, vt quantum fieri poteſt, vitetur, & inter omnia conſiliorum genera nullum eſſe præſtantius fatentur, quàm ſit velox fuga, diutina emãſio, & tardus reditus. Nulla enim infecti aeris vitandi ratio eſt cõmodior, nulla tutior, cùm aer etiam inuitis ſemper hauriendus ſit, hauritur autem qualis eſt. Tantò citiùs autem eo remedio vtendum dicunt, quantò malum ipſum nocentius & præſentius eſt. Longiùs fugiendum, quò aer inueniatur ſalubrior. Denique tardiùs reuertendum, vt de purificatione polluti aeris certiùs conſtet. Hinc putant peſtilentiæ tempore tria aduerbia (citò, lõgè, tardè) plus ſubſidij & ſecurioris remedij afferre, quàm tres inſtructiſsimas apothecas. Peſtis enim (Galeno autore ad Piſonẽ) cum aerio corpore velut draco quidam eſt, neque vulgaris draco, ſed qui dum oculis non cernitur, latẽter & ex inſidiis vbique venenum in homines exſpirat: neque vulgare venenum, ſed quod celerrimè creſcens, totum Reipublicæ corpus breui tempore

Galen. ad Piſon. de Theriac.

Leonarth. Fuchſ. 4. de med. morb.

tēpore poteſt depaſcere. Nā praua aeris qualitas (ait Galen.) ad corruptionē promta mutatio efficitur: & homines cū reſpirationis neceſsitate periculum euitare nequeant, ipſum aerem, veluti venenum quoddam ad ſe per os attrahunt. Quamobrem idem Galenus Hippocratem multis modis admirabilem virum vocat & laudat, quòd luem illam ex Aethiopia Græcos inuadētem non aliter curârit, quàm immutatione aeris. Cùm enim ignem per totam vrbem Athenienſem incendi iuſsiſſet, non ſimplicem lignorum congeriem, ſed flores ſertáque ſuauiſsimi odoris, item vnguenta pinguiſsima & bene olentia iniecit, vt ita expiatum aerem in ſubſidium ſibi homines inſpirare poſſent. Poſtremò 5.
an non videmus (aiunt) cum magna admiratione, numeroſam aliquando familiam ordine interire, è qua ſi qui conſilio medicorum tempeſtiuè refugerint, manere ferè ſemper incolumes? Quàm pauci quoque eorum, qui ex funeſtis vrbibus diſcedant, moriantur, ipſi quotidie videmus: vt etiam illud Demoſthenis, Vir fugiens denuo pugnabit, hîc locum habere poſſe exiſtiment. Quòd ſi autem illicitum 6.
& peccatum fuerit talia loca vitare, vel ſecedendo relinquere, etiam viuere, quod eſt tamen ſummum Dei donum, quodammodo peccatum erit. Vult autem Deus nos vitæ noſtræ, quam ipſe nobis largitus eſt, eouſque curam gerere, donec ipſe qui dedit, eam repetat.

Marſ. Fic. de epidem. cap. 6.

Sumus enim in hoc mundo tanquam ipsius milites, & plerunque constituti in acie, vnde tum demum discedere licet, quando illi nos reuocare placuerit. Qui verò stationem suam vel negligentia, vel temeritate deseruerit, perfidiæ reus habetur. Atque hæc eorum fermè sunt argumēta, qui vt mortem, sic quoque morbum pro viribus vitare licere contendunt.

2. *Non licere pestiferam patriam deserere.* E regione verò alij non minori studio diuersum affirmant. Nam cùm morbi (aiunt) præcipuè verò epidemici, Dei punitio sint propter peccata nostra, non fugiendam esse iram Patris,
1. sed se potiùs ei sistendum, ac velut pueris, qui aliquid nequitiæ admiserunt, & ob id in parentū manus inciderunt, verbera patienter expectanda esse. Nam adducta ab aduersaria parte exempla, non de peste, sed de morte, ac ea quidē morte, quæ hominum persecutione intentatur (quæ duo multum inter se differunt) mentionem facere dictitant. *VVol. Musc. in explan. psal. 86.* 91. Hominum autem manus nos effugere posse, Dei verò minimè. Et homines sæpenumerò iniustas persequendi causas habere, vt tyrannidem, regnandi cupiditatem, vindictam, auaritiam, ambitionem, inuidiam, iram, odium, contumeliam, calumniam, libidinem, incestum, alterius coniugis raptum, aut desiderium, quæ ad persequendum alios incitare homines solent: Deum autem non nisi iustè quenquam punire. Accedit his, quòd hominum punitio non semper ad emendandum suscipitur,

ſed ſæpe maleficij talionem: Magiſtratus enim, inquit Apoſtolus, non fruſtrà portat gladium, ſed malis eſt terrori,& eiuſmodi pœnæ plerunq; veteris Teſtamenti erant: Deus verò, qui pater nobis eſt factus in Ieſu Chriſto filio ſuo, non ad retaliationem,ſed ad emendationem nos punit. Quos enim diligit, hos caſtigat. Fidelis etiã eſt, nec ſinit nos tentari vltra vires noſtras:tentat autem,vt palàm fiat,vtrum eum diligamus, nécne. Qui verò tentationem hanc ſuffert, eum D. Iacobus beatum prædicat, quoniam cùm probatus fuerit(ait) coronam vitæ accipiet, quam promiſit Dominus ipſum diligentibus. Hinc D. Petrus, Chariſsimi, inquit, ne miremini, dum per ignem exploramini,res enim hęc ad experimentum veſtri fit. Et Dauid Deum vocat ſeruatorem ſperantium: extat enim promiſsio eius, qua dicitur: Inuoca me in die tribulationis,& eripiam te. Hæc verò de hominibus,qui nos perſequuntur, dici non poſſunt: quemadmodum neque illud quod liber Sapientiæ Deum appellat φιλόψυχον: quòd cùm auxilium illius à nobis imploratur, officij & animi ſui erga nos non poſsit obliuiſci:quippe qui nomen paternum beneuolentiæ erga ſuam creaturam clariſsimum teſtimonium ſumſerit, & peculiariter ſibi ipſe attribuerit, & infinitis beneficiis effuſam bonitatem ſuam adhuc quotidie & prolixè oſtendat: & per Ezechielem clamet: Nolo mortem peccatoris,ſed vt conuertatur & viuat.Item per Eſaiã,

Prouerb. 2. *Hebr.* 12. *Epheſ.* 4. *Augu. ſer. 24 de tent.* *Deut.* 33. *Iacob.* 1. *1 Pet.* 4. *Pſal.* 17.

Ego Dominus Deus tuus, doceo te duntaxat vtilia. Item per Apostolū Paulum, se velle omnes saluos fieri. Hæc verò an de iratis & vlciscentibus nos tyrannis (aiunt) qualia exempla ab aduersariis adducũtur, similiter dici queant? Quare quis velit Deo tam benigno Patri diffidere, & quasi desperatione coactus eius castigationẽ ad nostram summam vtilitatem susceptam fugere?

2. Addunt præterea, præsertim qui magis obstreperi inter eos sunt, non exiguum esse signum, Deum indignè ferre istorum fugam, qui ita secedendo salutem sibi quærere conantur, quum sæpenumerò alieno & incorrupto aere vel hac ipsa lue, qua de agimus, vel alio aliquo affectu nihilominùs moriantur, & fugiendo minimè effugiant.

3. Quòd ad medicorum consilia attinet, non ea esse Christianis tanti momenti, vt propterea debeant negligere firmamenta è sacris literis adducta: quippe medicos tantùm corporibus, non animabus salutem quærere: cuius officij memores, suæ cuiusque animæ curam singulis relinquunt.

4. Postremò de vinculo charitatis, qua mutuò nobis obligati sumus, hæc pars multa concionatur: præsertim verò de eorum charitate, qui vna in ciuitate, aut quod magis est, in vna Ecclesia viuunt, & spirituali fœdere, sacramentóque coniurati, & quasi in vnum panem corpúsque cõpacti sunt. Quid enim (aiunt) hoc monstri sit, si membrûm aliquod corporis nostri vitiositatẽ aliquam contraxerit, aut fortè contra-

Charitatis vinculũ.

contracturum sit,ob id ne à reliquo corpore destituetur? & non potiùs omnibus modis ei subuenietur? Aut si igne flagret aliqua pars vrbis, idcircò non erit succurrendum, sed ob periculũ fugiendum & deserendum oppidum? Si quis in latrones inciderit,& ab illis vulneribus cõfectus semiuiuus relinquatur,nos hunc Leuitæ & Pharisæi exemplo prætergredi, & non potiùs cum Samaritano de equo, hoc est, propria nostra commoditate ad proximi damnum resarciendum descendere, & humaniter illum subleuare,ac pro viribus nostris tractare decebit?Id profectò nimis profanum, imò beluinum foret.D.Iohannes ait, Quisquis non diligit fratrẽ, homicida est: quomodo verò diligit, quem in summa angustia cõstitutum fugiẽdo relinquit? Nunquid Sodomæ inter reliqua peccata obiicitur,quòd proximos neglexerint? Ac vt semel dicam,quodnam (aiunt) summarium caput postremæ Dei aduersum nos accusationis & condẽnationis erit,nisi quod iis,qui ope nostra indiguerunt,in tempore non affuerimus,non iuuerimus,non consilio,re & opera auxiliati simus? Emendum enim (inquiunt) quodammodo est cælum nobis,dum in terra viuimus, si vnquam eius possessione gaudere voluerimus:emẽdum, inquam,non iusto pretio,sed præclara erga Deũ proximúmque voluntate,sola Domini Dei liberalitate,& Christi Iesu Filij sui inteueniente vadimonio per proprium sanguinem, qui pro no-

Eccl.7.
Psal.40.
Psal.41.
Matth.25.

bis fideiussit, & se Patri obstrinxit. Denique qui hanc sententiam tuentur (de aliquibus loquor, non omnibus, sunt enim plerique prudẽtiores) adeo nos volunt omnem & morbum & mortẽ fortiter contemnere, vt vix medicinæ vsum hominibus concedant, sed soli Deo omnia committenda esse contendant: Euchitas, de quibus antè diximus, æmulantes, qui precibus omnia aduersa prosperáque, contemtis aliis mediis, arcenda, impetrandáve iudicabant.

Nos ergo, quod promisimus, arbitrium nostrum iam interponemus: quod si fortè cui minùs est placiturum, libenter quocunque volet, appellãdi potestatem facimus. Principiò igitur, nolo labefactari vlla ex parte charitatem proximi, quæ haud dubiè proprio sanguine nobis gratior esse debet, sicut & ipse Filius Dei, quem à Patre non solùm propitiatorium, & λύτρον, sed etiam exẽplar ad imitandum nobis propositum esse credimus, vitam suam pro nobis impendit. Deinde in priori parte illud desidero, vt diligentiùs ponderent, quid sit obligatum esse alicui cœtui, vel communi iure ciuium, vel publico officio. Nam etsi fortasse plus debeamus vxoribus, liberis, cognatis, quàm aliis: tamen id nõ potest intelligi, cùm de subleuanda communi necessitate totius Reip. cui factus sis membrum & pars ad vniuerso seruiendum corpori, quæq; vnà omnes & cognationes & affinitates longè superat, quæstio est. Nam propter hanc vocationem,

Rom. 5.
1 Corint. 12.

que

quæ procul omni dubio à Deo eſt, tenetur quiſq; illud ſequi, Qui non relinquit patrem & matrẽ propter me, non eſt me dignus. Itaque prior lex corrigitur à poſteriore, & illi cedere cogitur: & qui antè parentibus fuit obligatus, vt illis obſequi cogatur, is poſtea communiori iure patrem & matrem relinquere debet, & Deum aliò vocantem ſequi, nempe vt vel adhæreſcat vxori, vel quod maioris momenti eſt, toti Reip. vel cœtui Eccleſiaſtico. Nec tamen ita quis hoc intelligat, vt in eodem ordine non debeamus plus domeſticis, quàm alienis, ſed loquor de diuerſis officiorum generibus & conditionibus. In poſteriore opinione requiro hoc, quòd non ſatis diſtinctè cauſam tanti momenti diiudicent. Etſi enim Stoica quædam eſt durities, tanta conſtãtia, tantum malum & præſentaneum diſcrimẽ expectare & perferre: tamen non ſimpliciter vel poſſunt, vel debent omnes eodem iure cenſeri. Qua enim alioqui ratione iuſtè excuſari poſſint tot ſancti patres, qui eiuſmodi pericula aliquando fugiſſe leguntur, non video. Illud quidem volo, nec illos nimis puſillanimes, & quaſi diffidẽtes, nec hos immoderatè rigidos aut temerarios eſſe. ſed medium vtriſque eligendum, quo tutiſſimò ire ſolemus, & in quo omnis conſiſtit virtus, vt rectè vulgus dicere ſolet. Quibus dilgenter conſideratis, hoc dico: ſi quando peſtem, vel quodcunque aliud genus epidemicæ afflictionis nulla hominum craſſa negligentia ác i-

gnauia, vel naturali aliquo vitio (quod hîc accuratè obseruandum est) sed potiùs manifesta ac merè diuina indignatione ortum esse, certis signis colligi posset, vt aliquando Prophetarum vocibus, & aliis Ecclesiasticis indubitatis historiis de maiorum tempore constat, tum minimè esse fugiendam virgam Patris nostri Dei censeo. Nam quis tam profanus sit, qui credat νυκτομαχίαν esse illius castigationem, quæ temerè obuios quosque feriat? Quin potiùs illud certò sibi persuadent fideles, etsi eiusmodi pestilentia grassanti adessent Noe, Dauid & Iobus: tamen
Ezec. 6. 14. propter iustitiam suam seruaturos esse animas suas. De talibus enim verum est, quod dici solet, præsigniri à Deo, quibus & qua ratione sit parcendum. Sin verò, vt hoc tempore potissimùm fit, & vt Lutherus de peste VVittebergensi, anni 1527 ait, nostramet ipsorum imprudentia & temeritate, ne dicam maleuolentia & bonorum consiliorum contemtu oriantur huiusmodi cõmunia incommoda, & ciuitatem aliquam peculiariter & paulatim affligant, eósque potissimùm
Eccles. 13. qui proximi sunt, velut pix tangentes, contaminent, huiusmodi (inquam) loca, quin piis & intelligentibus fugere vitaréque liceat, præsertim decreto Magistratus interposito, quod antea dictum est, nihil dubito. Cur enim si vicinus domum suam sponte succendere velit, ego non fugiam illius flammam? Quod si etiam magistratus autoritate sic constituatur, vt cui animus nõ

sit

ſit manendi, ſecedat, iam antè ita rebus ordinatis, vt nulli quippiam deſit, quod in hiſce difficultatibus magnoperè requiratur, iam conſciētia omnino libera eſſe poteſt: ſin verò præcipiat, repugnare ſana cōſcientia non licet. Idem enim hîc ſæpe conſultum eſt, quod in grauibus incēdiis, ad quæ extinguenda, quia non omnes idonei ſunt, certi quidam in aliquibus ciuitatibus conſtituuntur, qui ſoli hoc onus ſubeant, ceteris accurrere non licet: vel quod in vrbiū obſidionibus fit, vt ſenes, mulieres, pueri, imbelles, qui oneri tantummodò, non adminiculo eſſe poſſunt Reip. tantiſper remoueantur in portum cōmodiorem, donec ciuitas ab hoſte liberetur.

Atque hac quidem ratione ego Chriſtianus & medicus, philoſophiæ Theologiæq́ innitens fundamentis, abſque affectu & partium ſtudio, (vt & in reliquis) quod omni veritati ſemper obfuit plurimùm: præterea examinatis accuratè amborum argumentis, conciliari poſſe diſceptantes, niſi ex litigatoribus vitiligatores euadere velint, animo bene deliberato iudicârim. Quod ſi tamen aliquis (vt hoc iterū repetam) de grauamine forſan cōqueri volet, Apoſtolos permitto, prouocet ad quem libebit, ſuperiorem iudicem: vel ad priores magnos ſanè & pietate, eruditione, prudentiáque celebres viros reuerſus, ius ſuum renouet atque redintegret. Ego hinc expeditus redeo ad negotium propriū.

De efferendis mortuis, deducendóq; funere.

CAP. IIII.



Iiam cõtingat (quod frequẽs est eo rerum statu) vt moriãtur aliqui, qui subinde efferendi, sepeliendíq; sunt, quia eiusmodi res ad impediendũ contagium diligenti eget obseruatione, videndum est hîc quoque, quæ ratio per conseruatores inueniri queat, vt quàm minimo cum periculo fiat. Consistit autem in duobus præcipuè articulis, videlicet per quos, & quomodo istuc fieri debeat. Opus igitur hîc erit, imitari maiorum nostrorum consuetudinem, qui monachorum quoddam genus habebant, quos, propterea quòd plerũq; illiterati essent, Fratres ignorantes alicubi appellarunt, vel Begardos, quasi ægrorum custodes: vel Lollardos, quòd luctu funera prosequerentur. Quorum officium erat, ægrotis adesse, qui eorum operam requirerent, præcipuè autẽ pestiferis, illísque priuatim seruire, interdũ quoq; admonitionibus confirmare cõsolaríque, mortuos verò arculis imponere, ac ad sepulturam deferre. Vsus sanè non aspernandus. Ac extat quoddam scriptum, quod B. Hieronymo, licet falsò

Fratres ignorantes.

falsò attribuitur,in quo primus gradus ordinis Ecclesiastici statuitur eorum, qui mortuos sepeliunt, quod officium modò abiectissimum habetur. Vtut verò est,omnino certi aliquot cōstituendi,ac stipendio publico conducēdi sunt, homines non infames,neque asoti,neque prorsus contemtissimi:quorum alij libitinariorum, seu vespillonum ac pollinctorum, alij bustifabrorum,alij expiatorum & elatorū nomen habebunt,officiúmque eorum esse debet, scrobes fodere,loculos fabricare,cadaueraq; iis imponere,efferre ac sepelire. Deinde quoque domos funestas, résq; vniuersas huc pertinētes,quātū ab ipsis requiretur,emundare,abluere,expiare eo, quem infrà describemus,modo. Hi verò quum ita fuerint conducti, graui subinde iuramento, atq; certa proposita pœna coercendi sunt, vt ad nullos alios accedāt,neque aliis sepulchra construant,quàm qui peste decumbunt,aut mortui sunt:sed vel domi sese contineant, vel nota aliqua,vt virgula alba,vel simili quapiam insigniti prodeāt:neq; sic tamē hominum cœtui se immisceant,aut propiùs adiungant.

Velim autem insuper illos ipsos admonitos esse,ne tam lucri causa,quàm charitatis, humanitatísque communi vinculo hanc abiectam & coram hominibus infamem prouinciam suscipere,administraréque in animum inducant:sed sciāt se piissimū opus facere, quod sancti quondam Dei viri, imò ipsi Angeli fecisse leguntur. *Hist. Eccl. 9. cap. 8. Tob. 1. 2. Deuter. 24.*

Bulling. 1 *de orig. er.* Proinde modestè & placidè se gerant, mortuorúmque cadauera honestè contrectent, vtpote quæ rursus sancta animorum ergastula futura, vnáque cum animabus suis redintegrata, etsi ad tempus modò ab iis discessêre, è terra resurrectura, & cum Deo cælesti gloria, diuinóque splẽdore illustrata æternum sunt victura. Magni facimus, & singulari reuerentia obseruamus eos magnatum infantulos, quos olim regnum possessuros, ac tantis honoribus præfuturos putamus, & contemtim vel irreuerenter ea corpora tractabimus, in quibus Deum nostrum, & fratrem Iesum Christum simili forma vestitum visuri aliquando, & in sempiterna secula cum ipso regnaturi sumus? Templa hominum manibus

Comparationes aliquot. extructa nefas est vlla ratione violare, quíque in Pithij fano cacârat, immortali infamia traducitur, & maximum piaculum commisisse credi-

1. tur, quantò minùs nobis Spiritus sancti templa temerè, & Cynicorum more, tanquam brutorũ cadauera contumeliosè tractare licebit? Cùm

2. dormituros dominos suos serui imponunt lectulo, non proteruè abiiciunt, verùm sedatè & honestè attrectant, componunt, tegúntq; multò igitur æquius & decentius est, mortuos nostros & in Domino obdormientes, reuerentur huic lecto imponere, ex quo ad vitam immor-

3. talem resuscitandi sunt. Quis regum ferat æquo animo, si liberos suos vita defunctos indignius haberi audiat vel videat? Quando ergo credibi-

le

le est,qui in fide moriuntur, Dei filios esse, multò magis hic indignabitur,si quid in suorum fidelium corpora indecenter committi viderit. Denique vt dicā paucis,meminisse oportet eos, qui huic rei præerunt,quod D.Paulus ait,in Ecclesia omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν gerenda esse,ad hoc quoque negotium pertinere.

Sed roget aliquis, quæ erit igitur solennitas, ac quasi publica honestas,qua efferri solēt ad tumulū mortui?In aliis ciuitatibus alius mos obtinet, sed nos hîc quàm minimum solennitatis requirimus. Non quòd negem Christianos honorificam sepulturam decere, sed hæc tempora alios mores postulāt. Et quia nunc paulatim accedit fastus,sicut olim auaritia sacrificorū, abusuśq; contaminat rem alioqui honestā,noui magnos viros,qui in testamentis suis diligenter cauerant,vt absque omni pompa sepelirentur. At hæc externa sunt,& adiaphora,ob quæ admissa, vel omissa nemo debet iudicari. Tametsi enim laudabilis consuetudo non est temerè spernenda, æquum tamen est,vt solennitas cedat necessitati:quæ necessitas, iudicio omnium prudentum,non est subiecta legi,sed lex ipsa ei subiacere & seruire debet,quod pluribus exemplis posset probari,si necesse sit. Quòd si autem persuaderi aliter homines non possint, quin ritus aliquis solennis adhibeatur, is per quam moderatissimus esse debet,ne quid damni inde attrahatur toti societati, & ne (quod Cato ille dicebat)

Sepultura honestas.

Budæus & Vatablus in Gallia.

in ipſa morte videamur eſſe ambitioſi.

Deinde quia ciuitatibus quibuſdam in more eſt, vt qui ſanguine propinquiores ſunt, eo tempore ipſas mortuorũ ædes ingrediãtur, hoc vt nemini liceat, edicendum eſt. Sunt enim ædes quorundam valdè anguſtæ & fœtidæ, qui fœtor inſuper non parum augetur variorum hominũ halitu, & plurimum poteſt obeſſe inſuetis & teneris infirmiſq; naturis. Dein nullus quoque ex infectis & funeſtis illis ædibus funus comitari permittendus eſt, quantumuis conſuetudo id requirat: quemadmodum antea hæc ſedulò obſeruanda præſcripſimus. Idem iudicandum de puerorum ſcholaſticorum caterua, qui ſolent alicubi ſepulturis adeſſe & præcinere. Hi enim ſemper in maiori periculo verſantur concipiendi aeris contagioſi, propter mollitiem ætatis & incautam rationem victus. Quæ omnia vt vna via caueantur, ego in hanc propendeo ſententiam, quum antea quoque omnem frequẽtiam vitandam dixi, vt hac conſuetudine tantiſper ſuperſedeatur, dum ſe publicum illud malum remiſerit. Neque enim tanti facienda ceremonia eſt, vt propter eam in periculum cõiiciamus valetudinem. Nam ceremoniæ nobis ſeruire debent, non nos ceremoniis. Et iamdudum ſatis perſuaſi ſumus, quicquid harum rerum fit, non ad mortuorum ſubſidium (vt temerè maiores noſtri crediderunt) ſed propter viuẽtium ſolatium fieri (vt alibi loquitur B. Auguſtinus)

nempe

nempe dum vident, etiam poſt mortem aliquam habendam ſui rationem, & ſpem ſupereſſe vitæ alterius, quæ triſtem hunc obitum in nobis poſsit conſolari. Quod ſi qui verò officium charitatis prætendent, quod hac ratione imminui & tenuioribus quaſi ſubtrahi videatur, illi facilè placabuntur, quum in omnibus eundem ordinem obſeruari videbunt. Qui verò ſingulari zelo incitati inolitam conſuetudinem vehementiùs vrgebunt, in illis zelus quidem laudandus, ſed requirenda ſcientia eſt. Inſtituendi igitur ſunt, vt diſcant ſynceræ pietatis ac charitatis officia in quibus conſiſtant rebus. Verum honorem ſepulturæ veráſque inferias eſſe, virtutis laudem, & rerum præclarè geſtarum memoriam: quam etſi externis quidem ſpectaculis licet celebrare, ſemper tamen non expedit. Breuiter pluris faciendam eſſe ſalutem publicam, quàm priuatorum quorundam zelotum, ne dicam ſuperſtitioſorum (nimius enim ac cum ignorantia coniunctus zelus ſuperſtitio eſt) hominum malè inſtitutam voluntatem. *Superſtitio quid ſit.*

Atque hæc ita vt diximus, conſeruatores inculpatè obſeruari præcipient: quibus etiam illud addent, vt neque illatio in capſulas, neque elatio ad tumulum, aut nimis tardè, aut nimis præcipitanter fiant. Illud enim periculum augendi contagij, delatis nimirum à putrido cadauere prauis vaporibus, nonnun-

Lev. Lem. de occ. nat. mirac. 2. cap 3. quam & intollerabilibus fœtoribus afferre potest, & sanos vehementer offendit: hoc autem ipsis aliquando, qui mortui credebantur, cùm mortui nondum essent, exitiosum fuit. Scimus, inquit Alex. Benedictus, quosdam vespillonum *li. 1. de pest. cap. 1.* manibus ad tumulum tractos semiuiuos, alios ex nobilibus, quibus anima adhuc in cordis la- *Plin. 7 ca. 52.* tibulis delitescebat, in sepulchris cōditos fuisse. *August. de ciuit. Dei, 22 cap. 28. in comm.* Vna ex magnis matronis hoc modo sepulta (puta Venetiis) paulò pòst visa est mortua, tamen quæ sedens & emota loco inter cadauera reuixerat, euulsæ comæ, dilaniatúmque vngue pectus maiori inditio fuêre. Heu quoties viua in- *Historia aliquot de viuis sepultis.* ter mortuos nequaquam superos inuocauit. Idem de alia quadam narratum mihi est, quæ grauida Pataui j, mortuáque credita, sepultáque in ipso paulò pòst sepulchro viuos gemellos peperit, qui eiulatu suo templi custodes miserabilis fortunæ noctu admonentes, vnà cum matre erepti sunt periculo. Ne quis autem miretur potuisse viuos manere, quibus ob prohibitam aeris attractionem suffocatio erat necessaria, sciat Italorum esse consuetudinem, vt honestiores familiæ peculiaria in templis loca habeant, cellas scilicet amplas & concameratas, in quibus mortuos suos collocant, nullis capsulis inclusos, neque terra obrutos. Similè ferè constat, & publico quidem pictæ & suspensæ ad ædem Apostolorum tabulæ testimonio, de quadā muliere Coloniensi, quæ quamuis inclusa arcula, & terra

con tu-

contumulata fuerat, tamen casu liberata, & ad maritum reuersa, longo post tempore cum eodem vixit. Nam cùm is qui sepelierat, annulum in digitis sepultæ relictum reserata noctu fossa auferre vellet, motu illo & cõtrectatione resuscitata animula, quæ separata credebatur, quum esset sopita tãtùm, reuixit. Postremò noui quẽdam pauperculum Tolosæ in Aquitania, qui eodem modo sepultus, sed neque capsa inclusus neque obtectus humo rediit ad vitam, quã falsò putabatur amisisse, quin potiùs diuturno deliquio comprehensus fuisset, eo quidem tempore, quum peste plurimi indies occũberent. Quid dicam plura? Non est facilè inter tam periculosa & ingentia mala non desipere. Quare prudenter simul & humaniter agendum est, ne dum illorum salutem tueri volumus, horum vitam temerè prodamus.

De cœmeterio extra vrbem collocando, extruendíq; ratione.

CAPVT V.



ESTAT vt de sepulturæ loco, qui ob quietem, qua in terra depositis corporibus æternam vitam cum Deo & beatis angelis expectamus, κοιμητήριον appellatur, ali-

quid quoque dicamus:de quo cùm medicorum propè omnium ſententia ſit, funeſtas contagioſasq́ exhalationes inde exiſtere, quæ aerem vitient,putredinémque mirificè augeant (vt etiã in ſalubris diætæ obſeruatione domicilia, longè diſtare à cœmeteriis velint) erit quoque iſtæc cura conſeruatoribus ſanitatis ſuſcipienda, vt collato conſilio ſumtúq́ cœmeteria extra vrbẽ in loco accommodatiſsimo inſtaurent. Quæ res præter vtilitatem, non parum quoque faciet ad tuendam publicam honeſtatem, ac ad prohibẽdam profanationem, Chriſtianis ciuitatibus prorſus indignam & intollerabilem, vt eleganter & grauiter à M. Luthero alicubi ſcriptũ eſt, cuius verba,quia digna iudicaui quæ hîc inſererentur, Latinè hoc modo reddere volui:Principiò (inquit) hoc medicorum iudicio diſquirendum relinquo,qui rem hanc meliùs,quàm ego, intelligunt,vtrum abſq́ periculò fiat,in ambitu vrbium cœmeteria haberi,an non.Nam equidẽ neſcio,an ex ſepulchris vapor aliquis hauriatur, qui aerem poſsit vitiare. Quòd ſi verò ita ſit,ſatis cauſæ id fuerit, vt extra vrbis pomœria extruantur. Dictum enim eſt nobis paulò antè, omnes omnino teneri veneno reſiſtere, cùm Deus ipſe nobis præceperit, corporis vitæq́ noſtræ nos curam gerere, & quando aliud non iubet,à periculis nobis cauere: rurſus magno animo pericula contemnere,cùm res poſtulat, vt ipſi vni tum ad viuendum, tum ad moriendum

parati

parati videamur. Nemo enim sibi viuit, nemo tiam sibi moritur: quemadmodum D. Paulus in epist. ad Rom. cap. 15 loquitur. Hoc verò mihi certò constat, apud veteres tam Iudæos, quàm ceteras gentes, tam pios, quàm impios, hunc morem fuisse, vt monimenta sua extra vrbem haberent, qui tamen non minùs intelligentes sapientésque homines fuerunt, quàm nos. Quod dixi, Lucæ Euangelium indicat, dum Christus viduæ illius filium pro ciuitate Naim à morte excitaret. Textus enim ait, extra vrbem delatū fuisse ad sepeliendum, & multos comitatos esse. Vt non sit dubium, vel hac illius loci consuetudine, loca sepulturæ illis hominibus extra vrbis mœnia fuisse: sicut & ipsius Christi sepulchrum extra vrbem Ierosolymitanam fuisse constat. Et Abraham emit sibi peculiarē locum in agro Ephron, vbi omnes patriarchæ sepeliri consueuerunt, vnde & originē habet vox Latina, vt mortui efferri dicātur, hoc est, ex oppido ferri, quod nos ad sepulturā deferri dicimus, quamuis gentes etiā quædam exurere cadauera solebāt, & in cinerē redigere, ne quid superesset, quod aerem redderet impurū. Hoc fuerit ergo meum consilium, vt imitātes horū exēpla, cœmeteria quoq; nostra extra vrbes cōstrueremus. Et certè quomodo nostrum VVitebergæ situm est, meritò non solùm necessitas, sed etiam honestas & pietas nos monere, imò cogere deberent, vt foris aliud institueretur. Nam prorsus decet

eiuſmodi locum venerandum & in tranquilla parte eſſe, remotúmque à via publica, vtpote in quo aliquis cum religione quadam verſari, mortem, reſurrectionem, vltimúmque iudiciũ meditari poſſet & precari. Honorificus (inquam) & ſanctus locus eſſe debuit, vt nemo niſi cum timore ac verecundia ingrederetur: cùm ſit credibile non deeſſe ibi multos ſanctos & electos Dei filios. Noſtrum autem quiduis potiùs eſt, quàm cœmeteriũ, imò verò nihil eſt aliud, quàm quatuor aut quinque publicæ plateæ, & duo, triáve fora, adeo vt ferè nullus in vrbe locus ſit tritior & irrequietior. Hac nocte diúq́; tam pecudes, quàm homines tranſcurrunt. In hoc quiſq; ex ſuis ædibus vel ianuam apertam, vel viam deductam habet. In hoc nihil non geritur, & fortaſsis eiuſmodi ſæpe áliquid, quod dici non debeat. Hinc fit, vt omnis reuerentia atque obſeruantia aduerſus monimenta, quæ ibi ſunt poſita, prorſus elangueſcat, neque pluris æſtimentur, quàm vile aliquod Golgotha, in quæ brutorum cadauera abiecta ſunt: vſque adeo vt ne Turca quidem tam irreuerenter ſua cœmeteria profanari ſinat, quàm nos nomine Chriſtiani: cùm, vt dixi, in hoc loco meræ pietatis, mortis & reſurrectionis memoriam nobis renouare, ſanctorum hîc decumbentium vitam meditari, & ipſorum manibus honorem deferre conueniebat. Quomodo autem hæc commodè fieri queant in tam omnibus expoſito ac proſtituto loco?

loco? Profectò quod ad me attinet, si quis omnino honos quærendus est sepulturæ, æquè velim in Albi fluuio, vel in sylua sepeliri, quàm in tali cœmeterio. Sed si alibi seorsim extra vrbem, in loco tranquillo & semoto, ad quem non passim omnibus esset ingressus vel transitus, tunc certè res omnino religiosa, honorabilis aspectu, sanctáque videretur, quæ accedentes ad studiũ pietatis posset commouere. Atque hoc meum est iudicium. qui volet, sequatur: si cui melius aliquid fuerit reuelatũ, fruatur suo sensu. Ego nullius sum Dominus. Hucusque sententia Lutheri, quam ego non tam eleganter, quàm fideliter & planè conatus sum interpretari, cùm magni momenti res videatur, de qua agimus, & maioris quidem, quàm vulgò creditur. Quamuis enim de quibusdam populis referatur, quòd cõsueuerint suos mortuos in arculis compositos domi quisque suæ cõseruare, sicut nos æquè ferè ineptè in templis sepelimus, qui sæpe vix publica via digni sunt: tamen id nimis barbarum est, & nisi multis pretiosis rebus bene condiantur, intolerabile.

Quòd autem ad situm & structuræ modum pertinet, rationi magis erit consentaneũ, vt magis Septentrionem spectet, quàm Austrum: & potiùs in editiori siccioríq; loco, quàm humili & humido loco erigatur. Nam vti dictum est antè, quum è cœmeteriis semper funestarum exhalationum copia oriatur, aerémque deprauet, situs *Situs cœmeterij.*

humilitas, & fundi humiditas non parum hanc noxam poſſunt augere: Quod illi teſtantur, qui ibidem lineamenta aliquando dealbant. Plerũque enim ingratum odorem ex eiuſmodi locis contrahere deprehendunt: qua ratione ſimiliter accidit, quòd tam ſæpe in depreſsis vliginoſisq́ue locis, coquinis, conuallibúſque ignis quidã appareat lambens crines aut veſtes, vt de puero

Aeneid. 2. Aſcanio ſcribit Virgilius, & de Seruio Tull. Ti-

De Vrbe cõd it. 1. tus Liuius. Naſcitur enim hîc ex pingui quadam humiditate, aut viſcoſa pinguedine, quæ inibi copioſior eſt, vnde exſurgit exhalatio denſior quidem, ſed minus tamen calida, quàm vt ſupremam regionem aeris attingere, multò minùs vt ſuperare poſsit. Quare ob loci frigiditatem deorſum pellitur, & vel per confricationem ſui ipſius, vel per extremi frigoris ἀντιπερίστασιν, vi proprij caloris accenditur. Quemadmodũ etiam de vagabundo illo atque erratico igne,

Ignis fatuus. (quem nonnulli fatuum, Plinius Caſtorem & Pollucem, Græci πολυδεύκεα nominant) referunt, qui ambulãtes noctu, præcipuè verò equitantes, vel nauigantes aut ſequi, aut præcedere

Mortuos circa ſepulchra Videri, an ſit naturale. ſolet, nõ ſine horrore aliquo imperitorum, qui ſpectrum eſſe credunt, quum ſit res planè naturalis & innoxia, quæq́ue neminem offendat. Cęterùm quia in huius phyſicæ imaginis mentionem incidimus, libet illud miraculoſum fabu-

De Variet. re. 16. cap. 93. lamentum addere, quod refert Hier. Cardanus, de mortuis quibuſdam prope ſepulchra videri ſolitis.

solitis. Quod, ne quis me illi affingere putet, cùm sit res penè incredibilis, ipsius verbis asscribam: Mortuos, ait, circa sepulchra videri in agris, & maximè iugulatos, nec profundiùs defossos, quíque in vita fuerunt atroces, per noctem, & præcipuè ab his, qui hoc non ignorarunt, naturale prorsus est: cùm humidum corpus hominis ac recens vaporem pro magnitudine sua constãtem emittat, qui hominis refert imaginem. Vnde olim concrematis corporibus, & in vrna conditis, nihil tale videbatur. Hæc ille, auditu certè horrenda, sed visu multò magis, & quæ ego ad Dæmonis artificiosum ludibrium malim referre (ludit enim Sathan in hominum animis, & circulatorum more multa spectra facit apparere, quibus formidolosis vanum excitat metum, vel ad idolomaniã allicit) quàm ad rei naturalis veritatem, si modò reuera fiunt, quemadmodũ fieri vidẽtur. Quod etiam ex eo intelligi potest, quòd ab his, qui rem non ignorãt, præcipuè videri affirmat. Istis enim faciliùs imponere potest Diabolus, quippe qui iamdudum animo suo ea volutarunt, ac sibimet ipsis cogitatione sua & vi imaginatrice talia φαντάσματα harum rerum concipiunt & pariunt, vt quod in proprio cerebro sibi impresserunt & informarunt, extrinsecus videre se putent: quod in ictericis & melancholicis non est nouum. Fortibus autem viris rarò aut nunquam spectra talia apparere, quòd hæc propter animositatem minimè timeant aut φαντάσματα.

imaginentur illi quidem, teſtatur Theodorus Byſantinus, & poſt hunc clariſsimus medicus Io hannes VVierus. Quamobrem ſi addidiſſet Cardanus, à pueris, mulieribus, vecordibus, mollibus, atque ægrotis, qui propter imbecillitatem animi & corporis, aſsidua formidine, vaníſque inſomniis quatiuntur, huiuſmodi ſpectra frequentiùs cerni, faciliùs apud me fidem inueniret, quod refert. Nunc verò non poſſum non veris Luciani narrationibus annumerare. Sed his non eſt diutiùs inſiſtendum, ſi hoc ſolùm adiecero, eos, qui ſic omnia ad naturam referunt, non rarò ſuo errore ſe fruſtrà oblectare, & Helenæ imaginem pro ipſa Dea amplecti: cùm plurima eiuſmodi portentorum, ſæpiùs dæmonum præſtigiis (vt dixi) pleráque etiam diuino potiùs miraculo fiant, quorum homines rationem reddere nequeunt, quàm cauſa aliqua naturali. Cõdonabit ergo mihi Cardanus doctiſsimus vir hanc contradictionẽ, quippe cùm ipſius etiam teſtimonio, ſemper dubitare liceat de veritate generali, quantumcunque bonus vir ſit, qui eam afferat.

De præſtig. dæm. 2. ca. 14.

Hipp. de virg. morb.

Quòd autem ad Septentrionem cœmeteria collocanda dixi, eandem habet cauſam, quæ de lœmodochiorum ædificatione dicta eſt. Ventus enim qui hinc flat, ſua tenuitate & puritate conſumit facilè, ac diſsipat vapores omnes craſsiores & turbidos, aerémque purificat. Quare non deferet vllum funeſtum odorem, vel halitum

perni-

perniciosum in vrbem, quem oriri solere in talibus locis probauimus.

Deinde etsi minutum sit: tamen vt rei naturæ omnes consentiant circumstantiæ, figura rotunda, non quadrata, aut alia inducenda est, & muro lapideo cingendũ. Quid ita? an quia hæc figura omniũ est capacissima? an verò quia perfectissima? cùm aliæ omnes in hac inueniantur? vtrâque sanè de caussa, sed prior minoris momenti est, posterior significationem habet elegantiorem. Cùm enim sæpe multi inhumandi sint, præsertim eo tempore, vtile erit, spatiũ esse amplum, ne alia nondum satis antiquata sepulchra rursum effringi & aperiri oporteat, & semiputrida cadauera denudari, quod triste & abominabile fuerit, periculúmque affert inquinãdi aeris. Figuræ autem rotũditas perfectionem indicat, tum quam adepti sunt, qui ibi recubãt, tum quam adhuc expectant. Qua ratione cælũ ipsum rotundum, & qui diui à nobis habentur, ac beatæ æternitati consecrati sunt, his rotundã figurã apingere solemus. Circuli enim, vel sphęræ nullus est finis. Item significare quoque poterit, id quod Græci dicunt: πάντα ἀνθρώπινα κύκλος. Quando enim omnia quæ sub cælo sunt, ad primum quodam modo motum se gerant, ab ipsa vita, tanquam ab oriente, ad mortem, velut ad occasum vergentia, circulum suũ vnà cũ vniuersi latione absoluunt: quemadmodum ille, qui reuersus est, vnde exiuit, cursum & circu-

Figura cœmeterij rotunda.

Aristot. in probl. sect. 17. probl. 3.

lum ſuum perfeciſſe dicitur. Huc quoque pertinent crates ferreæ ante oſtium cœmeteriorum, & valuæ ſua ſponte, cùm apertæ fuerint, concidentes, ſeq́ claudentes ipſas, ne brutis facultas ſit adeundi.

Verum nunc tempus eſt, vt hoc capite de communis ſepulturę loco, ſitu, figura, ornamentis concluſo, progrediar ad alia, quæ ſunt non paulò maioris momenti, quàm de quibus huc vſque egimus.

De expiandis ædibus ac rebus funeſtis.

CAPVT VI.



ORDINE igitur ſequitur, vt quum iam vel educti ægri, & qui cum eis fuerunt ſuſpecti: vel elati mortui fuerint, de ædium, ac rerum, quæ in illis ſunt, expiatione aliquid dicamus. Hæc enim induſtria ad multa pertinere videtur, imò ſine qua reliqui labores omnes nequicquam adhibentur, malúmque ſubinde recrudeſcit, imò poſt diuturnam quietem, quaſi nouis reſumtis viribus atrociùs interdum, quam ab initio, ſæuit. Nam ſanè quidem hercle res digna admiratione eſt,

cur

cur tot sæpe homines vna in domo, in qua mortuus aliquis est peste, pereant. Quod cùm ex venenoso aëre illius funesti loci accidere nulli dubitemus, prorsus imitanda nobis est consuetudo veteris testamenti, vbi lepra illi ætati vsitata non solum corporibus, sed & vestimentis, linteaminibus, parietibus, aliísque domus partibus adhęrere consueuit, vt non modò lauandæ illæ res essent, sed interdum quoque exurendæ. Pari, dico, ratione hîc agendum, vbi venenum pestiferum non minùs omnia contaminare solet, ac non rarò in rimis murísque se oculit, ac aliquot annos innoxium latet, donec nocendi occasionem nactum magna vi erumpat, & quotquot impuris corporibus accedunt, ore alijsue corporibus meatibus hauriunt, inficiat, neque à nocendo desistat priùs, quam vel idonea ad recipiendum subiecta remoueantur, vel ipsa maligna aëris qualitas sufficienter corrigatur, & dissipetur. Sic refert Alex. Benedictus de culcitra quadam, quæ negligentia familiæ illota & inconcussa longo tempore in angulo reiecta iacuerat, cúmque post annos septem prolata, & in vsum recepta est, quæ intereà temporis ratione quietis & frigoris fuerat innoxia, rursus loci hominúmque calore excitata & per poros attracta, virulentiam suam cum internecione totius domus exeruit. Simile quippiam recitaui supra de pellicea veste, & alijs quibusdam infectis rebus, quæ mihi comperta sunt. Manifestum enim

& indubitatum eſt, aërem peſtilentem longo tempore in eiuſmodi locis & ſuppellectilibus hærere poſſe: qui ſi quando excitetur, & putridum impurúmue corpus inuadat, perfacile accendit. Narrat H. Cardanus verè πολυίςωρ, in villa quadam propè Mediolanum, Lachiarella dicta, dum anus quædam ſepeliretur, inuentas duas arcas pannis linteíſque plenas, annis propè triginta bellorum metu abſconditas. Quas cum apertas curioſiùs, vt moris eſt, requirerent, nihil quidem corruptum in illis inuenêre, ſed quotquot tamen interfuerunt, aut quæ recondita arcis eſſent, ſeu tunc, ſeu etiam pòſt tractauerunt, intra triduũ interijſſe. Marſilius Ficinus quoq; aſſerit, parietes, ferramenta, & quæ è lignis ſunt extructa, niſi corrigantur lotionibus, ſuffumigijs, ignibúſque, integrum annum aut eo etiam ampliùs ſuam retinere venenoſitatem. Veſtes item laneas, & id genus, niſi ſæpè euententur, lauentur, ſuffiantur, vel ad ignem, ventum, ſolémue exponantur, triennium & vltra permanere infecta. Noſti quidem (ait) mucidi odorem aurantij, in qua mucuerit capſula, multos ſeruari per annos: Similiter ſuo qui priùs erat bombyci muſci, diu remanet odor. Equidem vt ignis oleum, ſic nutrimentum huius veneni eſt lana: Et ita quidem nutrit hæc lana venenum, vt non modò conſeruet ipſum, ſed & augeat, ac fortificet. Item alio in loco: Quantum verò (inquit) ad ſolius aëris (intelligit autem communem

In append. cap. 9. lib. 4 de re. var.

De Epidē. cap. 24. 25.

Lana diu retinet venenum.

nem

nem,non priuatum aerem) diſpoſitionem, vna ſufficit angaria,ita vbi ad tres menſes immunes ab hoc morbo omnes,quicunque ſunt,perſtiterint,iudicari poſsit, aerem iam fore purgatum. Sed eſto cautiſsimus in appropinquatione & contactu eorum,quæ tenaciùs quàm aer, venenum retinent. Procinctus fornacium in muris diutius quam ligna venenoſam ſeruat qualitatē. Quare purificanda ſunt diligenter omnia,ignibus,lotionibus,euentationibus,perfumigijs,odoribus,&c. Purificantur autem homines plerunque quatuordecim dierum ſpacio. Domus, lignamenta,&c.viginti &vno:Panni,veſtimenta & ſimilia,viginti octo. Equi,pecunia,ſupellectilia, ſarcinulæ & huiuſmodi, niſi admodum cautè egeris,venenum diu ſeruare ſolent.Quare vigil,cautus & prudens eſto,cunctíſque ordinatim prouideas.Hæc ferè hucuſque Marſilius Ficinus, à quorum verborum fine vt ego exordiar,noſtros quoq; conſeruàtores,ad quos mihi redeundum eſt, admoneo exhortórq; omnibus modis,vt ſingularem prudentiam in hac re adhibeant,ac diligenter cunctis ordinatim prouideant. In primis autem, vt per quos hæc expiatio,quam dixi,perficiunda ſit: Deinde quemadmodum fieri debeat,præcipiant.

Alex. Ben. 1. de peſte cap. 3.

Quamobrem ſi adhuc ſani viuíque in ædibus funeſtis reliqui fuerint,illis ipſis ea cura committenda eſt, addito interdicto, & pœna negligentiæ propoſita: Sin autem domus ſit hominibus

vacua, tum per vespillones, elatores, pollinctorésque, quos diximus, hoc negotium peragendum. Hi autem primùm omnium ianuas fenestrásque aperient, vt ventus permeet liberiùs. Deinde ignem instruent ex idonea materia, vt est quercus, Iuniperus, fagus, salix, &c. quò aer vniuersæ domus purificetur: Tertiò si quid est parui momenti rerum, velut pannorum, vestiũ ac lineamentorum vilium, vel in profluentem abijcient, vel seorsum in loco ab hominibus remoto exurent. Quartò scamna, mensas, preciosiores vestes, pannos, lectos singulari cura non abluent modò, sed etiam lixiuio macerabunt, concutient, auræq; exponent. Si enim ita non fiat, timendum est, ne nõ satis venenositas euanuerit, & paulò pòst recrudescat. Parietes autem ferramentis abradantur, ac noua calce delibentur inalbentúrq;. Quintò domus tota sæpiùs suffitibus illustranda ex folijs quercinis siccis, vel granis ligníq; Iuniperi, vel thure, vel rebus similiter odoriferis. Sextò vbi hæc omnia, ea qua dixi industria, ordinatim studioséque perfecerint, tandem conspergent omnia pauimenta herbis odoriferis, vt Saluia, Issopo, Lauendula, Amaraco, Ocymo, Ruta, Spicanardi, Roremarino, Rosis, Nymphæa, Violis, folijs vitium, Salicum, &c. pro ratione temporis anni, quæ hîc singulatim persequi non est opus. Atq; hæc omnia longè diligentius & laboriosiùs in subterraneis illis habitaculis fieri oportet: Quia dum hîc non

Theodor. Taberna mont. cap. 11. de peste

non eſt libera euentatio, multò diutius retinent abſconditum impreſſúmque virus peſtiferum, quàm quæ ſunt in aprico & libero aere.

De coërcendis his, qui in funeſtis ædibus fuerunt.

CAP. VII.

DE illis autem, qui cum mortuis verſati ſunt, quid ſtatuendum ſit, etſi antè quóque mentionem aliquam fecerimus, tamen hîc iterum & articulatiùs aliquid dicendum eſt. Nam vt hi liberè vbique vagentur, aut publica commercia apertis mox poſt elata funera domibus ſuis exerceant, minimè quidem conſultum videtur. Vel ergo neceſſariò affuerunt, vt domeſtici, qui ægrotantibus miniſtrârunt, & medici, chirurgi, Eccleſiaſtæ, qui remedia corpori animæq; adhibuerunt, & denique alij, qui mortuos extulerunt: Vel non neceſſariò affuerunt, vt illi qui obiter fortè ſemel atque iterum viſendi cauſſa, non aſsiduè acceſſerunt. Hi ſi diligentiam aliquam in luſtrando corpore veſtibúſque adhibeant, quatuordecim dierum ſpacio tantùm contineri intra priuatos parietes ſatis erit, ſi modò nihil deterius

eſt

est consecutum. Illis autem qui medici chirurgíque officio sunt functi, toto pestilentiæ tempore abs reliquorum hominum consortio abstinendum esse, iam ante constitutum est. Domestici verò, & qui asiduè cùm ægro vnis in ædibus versati sunt, longiori tēpore ad purificandū opus habent. Quod si autem animus sit his exeundi potestatem facere, nihilominus ad euitationem cōtagij à publicis fanis, & à reliquis cœtibus omnibus prohiberi debent, nisi palàm bacillum aut virgulam candidam luis pestilentialis indicia secum ferant, & nihilominus studiosè innoxiam turbam declinent. Quod si aliqui id facere detrectabunt, seuero conseruatorum edicto coercebuntur, ne spacio sex integrarum septimanarum ausint ex ædibus suis egredi. Multò adhuc seueriùs coerceri debent, qui ipsi quoque lue illa affecti fuêre, quantumuis modò vtcunque sanati sint. Nam in eiusmodi mundificatione vel bimestre spacium requiritur. Seuerisimè autem omnium illi, qui in præsentiarum morbum ipsum adhuc habent: De quibus expiandis quid statui debeat, quoniam adhuc cum morte illis est luctandum, tradi non potest. Etsi enim plerunque infirmiores sunt, quam vt exire domo queant, contingit tamen nonnunquā, vt inducias concedat morbus aliquot dierum, cùm virus tam citò ad principalia membra non potest procedere neque vitæ arcem occupare, impeditum vel corporis densitate, vel viscerum natiuo

natiuo robore, vel ipſius mali minore imbecillioréue qualitate. Hi tum ſolent ſe libenter immiſcere cœtibus hominum, ducti vel errore quo dam ſimplici, quod exiſtiment, ſi alijs poſsint malum ſuum affricare, ſe ita fore liberandos. Ita enim nouit cacodæmon ille nocendi artifex falſa credulitate homines imbuere, & rotulam (vt loquitur vulgus) verſare, promiſſa vana ſpe ſalutis: vel cum ſcelere coniuncto, id eſt, maximũ & crudele flagitium committendi animo, nempe, vt ſecum quàm plurimos alios inficiant interficiántque. Adeò enim ſunt plerique peſtilenti animo, vt peſtilentiam corporis longè ſuperent. Qui non eſt vtcunque in mundo verſatus, neque πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, meis verbis vix adhibebit fidem: At reuera aſſerere poſſum, his oculis me vidiſſe, qui, cùm hoc affectu iam extuberanti, vt dubitare non poſſent, laborarent, templo ſe ingererent, & clam panem Domini ſimul cum alijs ſumerent, atque ex eodem calice vinum Domini biberent: Horreſco referens, etſi tunc nullis ea res damnoſa fuerit: Haud dubiè ſic procurante Domino, qui liberat nos ab omni malo. Quis autem credat huiuſmodi non potius cacodæmones eſſe (loquor cum M. Luthero) quam homines? aut certè homines peſtilentiſsimos, quibus vel ipſa peſtis mitior ſit? Quemadmodum autem clandeſtini ſicarij, modò his, modò illis pugionem in viſcera condunt, quòd neſcitur cui debeat imputari,

ita

ita hi ter funestissimi homicidæ & rabiosi canes, hîc puerum, illic virum aut fœminam intoxicant. Et cum pro viribus omnia funestarunt, nulli nisi diuinæ voluntati delictum suum tribuendum garriunt. Ac rident gaudentque in sinu, quasi re bene gesta, cùm aliorum calamitates, quarum ipsi caussæ sunt, audiunt. O crudelissimum veneficium: quod nulla ratione impunitum manere debeat, immò æquali, aut maiori etiam pœna dignum sit, quàm vulgarium grassatorum latrocinia. Cardanus narrat Casali vrbe Salassiæ contigisse anno 1536. Vt quidam coniurarint (homines videlicet 40, viri & fœminæ, vnà cum carnifice) vnguentum se confecturos, quo inungerent portarum vectes, vt qui eos contrectarent, inficerentur: Puluerem quoque adornarent, qui vestibus hominum clanculum inspersus exitium illis crearet: (sæuierat autem eo loci paulò antè pestis, & modò remiserat) sed coniuratione deprehensa omnes exquisitissimis tormentis enecati sunt. Fassi etiam fuerant, decreuisse se in celebri pompa cuiusdã Diui, subsellijs perunctis vniuersos ciues occidere, paratásque ad hunc vsum supra viginti ollas fuisse. Tentârunt idem Geneuæ quoque aliquando, dederúntque pœnas. An verò horum factum nefandius est, quàm eorum, de quibus nos agimus? Quis crederet autem in homines Christi baptismate tinctos, & regno Dei destinatos tantum scelus posse cadere? Quis non malit

De Variet. re. 15. cap. 8

inter

inter belluas,quàm cum huiusmodi appellatione hominum planè indignis vna in ciuitate viuere? Quamobrem strenuos vindices tantæ enormitatis conseruatores nostros esse decet, vt propter communem societatis salutem impunes non sinant abire tales clancularios hostes, & nefarios proditores, exemplo præclarissimarũ rerumpublicarum,de quibus facta est mentio.

Cæterum hi qui pestilentia laborârunt, ac modò vtcunque restituti sunt,alios etiam vltrò monere deberent, vt ipsorum consuetudinem vitent. Cùm enim illis in angustia ista constitutis humaniter subuentum sit, iam releuatis vicissim cogitandum, ne alios in eandem angustiam conijciant: quod esset hominum extremę ingratitudinis.Si ipse Deus (ait Lutherus) in veteri testamento præcepit, vt leprosi segregarentur à populi conuictu extra oppidum, ad vitandum contagium,neque reciperentur nisi mundi essent iudicati,multò magis, nos in hoc periculoso contagio idem imitari decet: neque hîc refractarios esse licet, &c. plura enim in hâc sententiã Christianè ab eodem dicta suprà recitaui. In quibus,vt ingenuè loquar,quamuis maximè placeat consilium separationis,tamen in caussa, qua periculum in contagio leprosorum positum esse putatur (nisi hoc fortè aliquando contigerit ob contemtum præcepti diuini: seuerè enim admodum consuetudine eorum fuerat interdictum) non approbari hanc sententiam ab omnibus *Lepra Vet. testam.*

bus

bus exiſtimo. In cuius rei mentionem quoniam iterũ incidi, ac crebrò aliâs memini, paucis repetere non grauabor. Principio enim veteris teſtamenti lepram fuiſſe morbum, actiones naturæ lædentem, aut vllo humano conſilio remedióue curabilem, haud conſtat: Quin D. Auguſtini opinione, defædatio potius erat, non illa quidem vulgaris, ſed ſingulariter à Deo immiſſa, quàm morbus corporis, & (vt ipſe loquitur) magis coloris & cutis vitium, quàm valetudinis aut integritatis ſenſuum atq; membrorum. Quamobrem quoque mundandi verbo ſæpiùs, quàm medendi vtitur Scriptura, cùm de curatione huius mali loquitur: Et rectè, meo quidem iudicio medici quidã celebres noſtram lepram, quæ ἐλεφαντίασις Græcis dicitur, ab illa Hebræorum, quæ Saharath ab ipſis appellatur, & de qua in Leuitico ac apud Euangeliſtas fit mentio, diſtinguunt. Hæc enim (aiunt) morbus non eſt ex ijs, qui ob errorem in ſex rebus non naturalibus contingere ſolent, cum reuera affectio quædam ſit ex ira Dei producta, quæ pro ratione peccati non hominum duntaxat corporibus accidere ſolet, ſed etiam veſtimentis atq; ædium parietibus, in quib. præuaricatores illi habitabant: pro magnitudine (inquam) delicti. Si enim peccatum exiguum erat, in muris domorum maculæ quædam paruæ extuberabant: Sin grauius, veſtibus adhærebant: Quod ſi verò grauiſsimum fuerat peccatum, tunc peccantis corpus ijſdem

De ciuit. Dei.

Amat. Luſitanus.

defœda-

defœdabatur. Atque huius lepræ suspecti, quatuordecim dierum spacio à summo sacerdote iudicabantur, vtrum excludendi essent è societate hominum, nec ne. Neque enim ad eam curandam vllis humanis præsidijs, sed diuina solùm manu opus erat. Quæ omnia (vt plura alia) iam esse desierunt. De nostra verò elephantiaca lepra, quæ δὶς διὰ πασῶν ab illa differt, hoc ex medicorum libris atque ipsa illius natura constat, morbum esse viscerum humorúmque vitio ortum, sæuum admodum, & velut totius corporis cancrũ: qui olim (testantibus historijs) Aegypto peculiaris fuit: in Italia verò ante Põpeij magni ætatem non visus. Quid? quod adhuc apud Italos longè rarior sit, quàm in nostra Germania, aut vicina Belgia, aut Francia: quod his quidem ob incocta cibaria, illis verò propter constitutionem aeris accidere nonnulli scriptitant: quàm verè, ipsi viderint, qui se tam faciles arbitros cõstituunt in caussis & controuersijs grauioribus. Galenus enim in Germania rarò, in Alexandria frequenter videri putat, fortè ad sua respiciens secula: Ego cum Amato Lusitano peruersæ rationi victus malim ascribere. Promiscuè enim ac nullo delectu aut ordine vescuntur piscibus, leguminibus, fructibus horarijs, lacte ac lacticinijs. Describitur autem à Plinio in hunc modũ, vt dicatur à facie plerunq; incipere, in nare primùm, velut lenticula, mox inualescente per totum corpus, maculosa, varijs coloribus & inæ-

ἐλεφαντίασις.

Anton. Beniuen. de abd. morb. causs. cap. 98.

Lib 2. ad Glauco.

Nat. hist. 26. cap. 1.

quali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura ceu scabie aspera, ad postremum verò ingrauescente & ad ossa carnes opprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibúsque. Hæc est Plinij definitio. Curationis autem ratio à Galeno illa potissimùm laudatur, quæ vsu carnis Viperinæ perficitur: quam & ego in Italia sæpenumerò ab excellentissimis medicis commendari audiui, & dextrè exhiberi vidi. Verùm hæc huius loci non sunt. Illud autem ex his constat, magnum discrimen esse inter elephantiasin, hoc est, hodiernã lepram, & illam, quæ in veteri testamento peculiaris pœna erat peccantium, tum quod ad ipsarum naturam attinet, tum quod ad curandi methodum: Quod obseruauit quoque Leonhardus Fuchsius in suis Paradoxis: sed nõ itidem Franciscus Valleriola in enarrationibus suis medicinalibus.

Gal. 11. facult. med. simpl.

Lib. 7. cap. 16.

Lib. 6. cap. 5.

Sed instat aliquis: vtranque tamen contagiosam esse oportet, cùm ambo abs hominum consortio segregentur, qui illis sunt infecti. Respondeo. Quid si non eadem caussa separationis sit vtrobique? Fortè enim ob id apud antiquos fuêre seiuncti à reliquis, quod fœditas & sordities quædam esset, quam Deus in suo populo ferre non voluit: quippe quem tam corporis, quàm animi munditie oportuit pollere: Vel quod illi qui hisce maculis defœdati erant, aliquid ferrent pœnæ: videlicet vt tum ipsi aliorum conuictu cogerentur abstinere, tum horum vicissim alij:

quæ

quæ res quorundam iudicio imago fuit nostræ hodiernæ excommunicationis, quam vulgò bannitionem quasi abannitionem, id est, anni absentiam vocant. Nostri autem Elephantici ob id ex hominum cœtu remouentur, quia morbum habent tum grauem, tum contagiosum: Quanquam, vt dicam quod sentio, contagium non tam vehemens esse existimem, quam plerique putant. Quin potius, meo iudicio, contagiosior est affectus, quem nostro tempore gallicum, propter originem, aut propagationem appellant, & Iohan. Manard. non rectè, mea sententia, de genere Elephantiasis iudicat esse: etsi non perinde sæuus sit, præsertim hodie, cùm illius vis paulatim remissior fiat, vt sperandum sit, tandem prorsus dilsiturum, vt mentagræ, cuius Plinius meminit, ne vestigia quidem apparent hodie. Quod autem Elephanticam lepram attinet, crebrò studiosè percunctatus sum ab illis, qui hac laborabant, sed raro cognoscere potui ipsorum consuetudine quenquam infectum esse, etsi non raro sani cum ipsis versentur, imò (quod magis mirum est) etsi cum sanis mulieribus ægri consuescant viri, & sanos gignant interdum liberos. Quod incredibile fuerit, si tanta esset contagij vis, vt à plerísque æstimatur. Quæ cùm ita sint, & nihilominùs magna cura propter qualecunque consuetudinis periculum, aut saltem periculi suspicionem, ex aliorum societate amouentur. Rursus dico, quod dixi iam

Gordon. part.1. cap. 22.
Epist. lib.7. Epist.2. Iacob. Syl. in præfatio. Isag. anat.
Lib. nat. hist. 26. cap.1.
Leonhard. Zacchin.9. in Rhaz. cap. de phthis.

sæpiùs maiorem longè sollicitudinem in contagione pestilentiæ esse adhibendam. Sed hæc iam fortè prolixiùs, quàm par est, disputata videbuntur: quod æquus lector facilè mihi condonabit, si cogitet, non esse inutile, nos interdum variarum rerum admoneri. Excitat enim hæc res ingenuos homines ad diligentiorem veritatis inquisitionem: quæ veritas, vt Pythogoras dixit, in profundissimo puteo demersa & abdita est.

Admonitio ad singulos reip. subditos, vt operam suam conferant, ad commune contagij pestiferi periculum prohibendum.

CAPVT. IIX.



Ed non deerunt fortaßis aliqui, qui hisce nostris constitutionibus animo iniquiori obloquentur, vel quòd iudicij inopia, rem non satis diligenter poßint perpendere & intelligere, vel quòd consilium non ferant, quo se in ordinem cogi animaduertant: vulgus enim omnis iugi impatiens esse solet. Sed his mox respondendum est. Qui verò sem-

ſemper peſtem peculiaris ac immediati à Deo flagelli ratione contingere perſuaſi ſunt, neque ob id humanæ operę aliquid tribuunt, hos nihil aliud quàm monere poſſum, vt ſe rectiùs inſtitui ſinant. Qui ordinis impatientiores apertè ſe noſtris conſeruatoribus opponent, veterémque conſuetudinem & libertatem vrgebunt, hos omninò admonitos velim, vt cogitēt, non ſibi ſolùm hîc conſuli, ſed etiam vxoribus, liberis, & propinquis, imò vniuerſæ ſocietati. Quæ igitur fuerit barbaries, non velle ad exiguum tempus ferre, quod tutò poſsis, vt libereris ab eo, quod tibi ſi accidat, perferre niſi cum diſcrimine vitæ non poſsis? Age, quis non libenter tempore belli, vel in vrbis obſidione, leges aliquot nouas quidem, ſed eo ſtatu neceſſarias, à Senatu aut Duce militum ſibi præſcribi patiatur, quibus intelligat fortunam ſalutémque tum ſuam, tum popularium ſuorum poſſe defendi ac conſeruari? Imò quis non hoſtem omnibus viribus arcere à finibus, ſi abſit: vel eijcere ſi vrbem ingreſſus ſit, ſtudeat? Quis in communi inundatione aquæ, aggeres tueri ac firmare, domos ſtabilire, liberare pecudes, hominibus natantibus ſubuenire, & vel tabulam ſaltem, ſi non queat ampliùs, naufragis præbere non laboret? Quis non accurrat & opem ferat ouibus, ſi lupus alicubi in ſtabulum irruens gregem dilaceret? Quis (inquam) adeò eſt crudeli animo præditus, qui in his calamitatibus non velit χερσίντε ποσίντε, quantum

Lev. Lem. 2. de occul. nat. mira. cap. vlt.

quidem anniti queat, subsidium rebus cadenti-
bus afferre? Quis has proximorum miserias ob
mollitiem æquo animo posſit aſpicere? O pror-
ſus ab omni humanitate alienum, & prorſus ada
mantinum, aut potius belluinum pectus, quod
vllum ignauiæ locum hîc dandum putet! Bru-
ta ſibi mutuò, ac quidem promtè auxilium fe-
runt, ſi quid aduerſi ipſis ab alijs accidat: & ho-
mo, qui ab humanitate appellationem ſuam
habet (quæ vox omne officij genus in ſe inclu-
dit) vt inutilem libertatem retineat, in ſumma
totius vrbis afflictione, non velit ſibi honeſtas,
commodas, neceſſarias leges, non perpetuas, ſed
temporarias ferri? Et ſecundum harum æqui-
tatem publicum bonum & ſociorum ſalutem ac
vitam tueri? At diſsimilia, inquiunt, ſunt exem-
pla, quæ adducis: quia illius Deus, horum ho-
mines, vel aliæ creaturæ, autores ſunt. Quaſi ve-
rò quicquam ſine Dei prouidentia, atque adeò
ſine diuino ipſius decreto accidat. Quaſi quic-
quam mali in ciuitate ſit, quod Deus non fece-
Eccleſ. hiſt. 7. cap. 28. rit. Sed hæc olim à nobis dijudicata fuêre. Age,
ſi quem videamus fame premi, hunccéne ex Dei
mandato cibandum nobis exiſtimas? Etiamſi
ſit Turca, etiamſi ethnicus, etiamſi hoſtis noſter?
Quantò magis igitur hoc officij debemus fra-
tribus, vicinis, ciuibus noſtris, quorum opera
nunquam carere poſſumus? Quod ſi verò ita e-
gentibus opem noſtram ſubtrahamus, an non
coram Deo homicidæ ſumus? D. Iohannes ait,
qui

qui non amat proximum, committere homicidium, & charitatem in illo non manere. Et huiusmodi vnum fuit eorum criminum, quę Deus obiecit Sodomæ, vt Ezech. dicit: Ecce hæc erant peccata sororis tuæ Sodomæ, otium, luxus, neglectus proximi. Eodem prorsus modo dicturus est Christus vltimo iudicio: Ego esuriui, & non dedistis mihi cibum, ægrotaui & non inuisistis me, &c. Quod si igitur tantum crimen est, cibum negare, vel ægrotum non visere, quantò grandius erit crimen, præsentem quasi mortem & interitum pro virili sua nolle auertere? Vtinam locum apud obstreperos istos, & publicæ salutis contemtores inueniat, summi & heroici viri Martini Lutheri consilium, qui tam prudēter, tam piè, tam denique studiosè omnia auxiliorum genera adhiberi suadet, quæ quocunque modo prodesse possunt: neque quicquam prætermitti vult, quod eiusmodi incendium aliqua ratione posśit restinguere. Ita te gerito, inquit, vt qui commune vrbis incendium cupiat extinctum. Quid enim aliud est pestis, quàm ignis quidam, qui non ligna aut paleas, sed vitam & corpus absumat ac deuoret? Proinde sic cogitandū nostrûm vnicuique est: si Sathan Dei voluntate, vel per se, vel per suos ministros hoc lethale toxicum nobis peperit, ego contrà ante omnia orabo Deum, vt hoc ipsum sua misericordia à nobis auferat: Deinde addam operam qualemcunque meam, tum suffumigando & illustrando aë-


Pestis est incendiū.

rem, tum vſurpandis medicamentis, tum vitando contagio, vbi præſentia mea non requiritur, ne meipſum quicquam neglexiſſe videar, aut alijs, qui mea negligentia damnum capere poſſint, interitus autor fiam. Quod ſi nihilominùs Deus me volet hoc morbo affligi, vel ad ſe ex hoc mundo reuocare, ſaltem officij mei quod erat, fecerim, neque in meipſum, aut in proximum quicquam peccauerim. Vbi verò opera mea neceſſaria eſt, ibi nihil omittam omnium, quæ fieri à me poſsint & debeant. En iſthæc verè pia eſt fides, quæ nihil temerè agit, neq; Deum vlla in re tentat. Hæc ferè ita Lutherus, verbis tamē Teutonicis. Ergo ſi talis prudentia & fidelitas primùm in Magiſtratu, deinde in ciuibus ſpectarentur, longè profectò tolerabilior peſtilentia eſſet futura. Vbi verò hi quidem nimium ſunt temerarij & negligentes: illi contrà nimis meticuloſi, ibi Sathanas facilè pro ſua libidine ſurſum deorſúmque voluit omnia, malúmque vſque eò augeſcit indies, vt tandem miſerabilis facies, totius ciuitatis exiſtat. Langueſcunt enim commercia, oritur rerum omnium caritas, ceſſant conuentus Eccleſiarum, periclitatur charitas, omnia ſuſpecta habentur, & vt poëta ait, nec hoſpes ab hoſpite tutus, Nec ſocer à genero, fratrū quoque gratia rara eſt. Non redditur debitus honor neque magiſtratui, neq; parentibus, diſciplina negligitur vniuerſa. Mera trepidatio, deſperatio, infantium eiulatus, mulierum lachryman-

Status temporis peſtilentialis.

mantium ſtrepitus,luctus,mœror,terror,fami: liarum interneçio, teſtamentorum corruptio vel impeditio,hæreditatum confuſio, vrbis vaſtatio,interitus Reip.& denique nihil non miſeriarum auditur & viſitur. Quæ meritò omnia ob oculos ſibi proponere debebant, qui hanc cauſſam tam parui faciunt, vt nihil eius nomine, quod & facile factu, & illis ipſis indemne,imò ſalutare ſit, exiguo duntaxat tempore ferre velint: ſed vel religione, cuius vim non intelligunt: vel rebellione honeſtas & reip. vtiles leges aſpernantur,& qui ipſis ſalutaria cõſilia,quibus gratis vti queant,magno labore ſynceróque ſtudio ſuppeditant,ingrati reijciunt: quorum tamen ignorantiæ atque maleuolentiæ, propter bonum publicum,conſeruatores minimè concedere oportet; ſed illud potius diuinum Hippocratis iudicium ſequi debent,vt quod ab initio viſum eſt eſſe conſultum, cõſtanter vrgeant, ac in eo perſeuerent. Aph.51

Hæc ſibi vnuſquiſq;,vel meo vel conſeruatorum nomine dicta putet,ac ſedulò ſtudeat,vt laboranti patriæ fideliter opituletur. Quod ni fecerit,Deo hominibúſque pœnam daturum ſe metuat.





15

De pœna temerè delinquentium.

CAPVT IX.



VAMOBREM, quia hucusque quicquid facto opus sit, tradidimus, neque quicquam quod ex ratione dici poſsit aut in rem ſit, prætermiſimus: ad obſeruantiam etiam harum conſtitutionum diligenter ac ſeriò omnes cohortati ſumus, ſequitur porrò, vt ſi quis in officio ſuo ceſſator aut infidelis repertus fuerit, is cognita cauſſa pro grauitate delicti pœnam ſuſtineat. Quid enim profit multas bonas leges condidiſſe, ſi non obſeruentur? Non obſeruabuntur autem, niſi in delinquentes iuſta fiat animaduerſio. Nam boni qui fuerint, ſua ſponte optima quæque facient. Lex enim iuſtis non eſt poſita, ſed trangreſſoribus. Magiſtratus quoque non portat gladium fruſtrà, ſed male facientibus eſt terrori. Quidam rectè dixit, nullam rempublicam poſſe conſiſtere abſque legibus: legum nullum eſſe momentum, ſi non detur actio: actionem omnem fruſtrà ſuſpici, ni ſequatur exſecutio. Incipiamus ergo ab exordio, & quæ cuique delicto ſtatuenda ſit pœna, qui temerè harum conſtitutionum leges (quas ego per Aeſculapium vel laqueis

queis inserto collo rogare non verear) offenderit, videamus.

Primùm quidem, Conseruatores ipsos quod attinet, etsi legum harum præfecti erunt: tamen non decebit maiorem sibi libertatem vendicare, quam ipsa suprema Maiestas imperatoria sibi esse voluit: qui quamuis supra leges se esse fateatur: tamen se legibus obtemperare & subijci velle ait. Et certè æquitas postulat, vt quod quisque in alios statuit, idem quoque ipse ferat. Isocratis sententia est, Vulgus libenter imitari, quo delectari videt suos præsides. Itáque conseruatores studeant omni modo suam autoritatem tueri, nec nomine solùm, verumetiam re ipsa sanitatis conseruatores esse, communémque salutèm ex animo procurare nitantur. Quod si aliquid negligenter aut ipsi egerint, aut alijs per gratiam (quod minus decet Magistratum vel ethnicorum doctrina) concesserint, vniuersi Senatus decreto, quod eis infamiam pariat, ab officio deponuntor, & in ordinem ciuium redigunter.

L. ôdigna vox. cod. de legib. Item L. princeps ff. de legib.

Medici, Chirurgi, Pharmacopœi, si quid per errorem commiserint, quod in hominum iudicium non venit (sæpe enim talia possunt accidere) Deum se vindicē habituros sciant. Quod si cuius leuioris culpæ rei facti fuerint, id industria compensent maiori. Qui nō tam dextrè omnia ac peritè, quàm soli excellentiss. egerint, ipsa etiã lege absoluuntur. Difficile enim est semper quod

rectis-

L. lata. L. magna ff. de verb. & re. signi. rectiſsimum eſt, aſſequi, neq; omnes poſſumus Hippocrates aut Galeni eſſe. Qui verò latam in ſe culpam admiſerint, id eſt, craſſa & affectata ignorantia in eo deliquerint, quod plerunque omnes ſui ordinis aliter & commodiùs feciſſent, mulctę ſubiaceant arbitrariæ, quæ vel in priuatione officij, vel defalcatione ſtipendij, vel denique detrimento honoris & famæ conſiſtat. Reliqua autem crimina ſecundum leges Imperiales, aut Principum conſtitutiones, aut plebiſſcita punienda relinquuntur. Interim autem & hi, & ſequentes miniſtri Eccleſiæ ab aliorum conſortio ſe abſtinebunt, aut pœnam arbitrariam ſuſtinebunt.

Miniſtri Eccleſiaſtici, qui animarum medici ſunt, non facilè poſſunt latam culpam in officio ſuo admittere, ſi ex animo, quod dicuntur, ſtudeant eſſe, neque ſe tardos cuiquam præſtent, neque reſpectum perſonarum (quod minimè eos decet) habuerint. Prouer. 15. Quare exceptis publicis criminibus, ſi quid negligenter egerint, aut ſe minùs piè geſſerint, Deo incorrupto iudici, rerúmque & cordium ſcrutatori puniendos relinquemus, vel ad ſummum ab officio ſuſpendemus, ſubtracto interim ſalario menſtruo.

Inter ciues, quiſquis inſtituti ordinis turbator aut tranſgreſſor fuerit deprehenſus, pœnam ferat pro ratione delicti. Si ebrius quis reperiatur, publica ignominia, vel pecuniæ mulcta, obſeruata perſonæ; occaſionis, frequentiæ; grauitatíſ-

que

que circumstantia, veniet plectendus. Qui choreas duxerint, balnea publica adornarint aut adierint, nuptias celebrarint, leuiùs quidem: sed si impetrauerint singulare priuilegium, omnino non puniendi sunt. Possunt enim incidere caussæ, cur quibusdam aliquid concedatur, quod passim in omnibus fieri non debeat.

Qui res prohibitas in vrbem importare ac diuendere ausi fuerint, rerum ipsarum priuatione iustè plectendi sunt. Eadem etiam pœna debetur illis qui emerint, si adhuc integras secum habebunt: alioqui mulcta rerum precio æqualis esto.

Qui autem rerum vtilium, vt esculentorum, poculentorúmque in alio, quàm præscripto loco, venditionem exercere inuenietur, ille totius rei, quam venum exposuerit, iacturam feret. *Inst. de re. Diuis. §. cum in alieno solo.*

Quisquis precium rerum vendibilium plus iusto auarè, vel vltra præscriptum priuata autoritate auxerit, illicitarum vsurarum pœnæ subijcitor, & ad aliquod temporis spacium commercij exercendi ius illi interdictum esto.

Quicunque prohibita animantia non remouerit, neque sordes, quas illa progenuêre, auexerit, certa pecuniæ summa plectatur: Sin autem in plateam publicam proijcere tentarit, duplo puniatur, & nihilominus suo sumtu extra vrbem exportare cogatur. Si neglexerit, pro singulorum dierum ratione mulcta intendatur: vel per publicos ministros duplici ipsius sumtu auferri curetur.

Ca-

Canes, feles, capras, &c. quę singulorum sunt propria, nisi domi quis coercuerit, pecuniæ summam arbitrariam pendito: & vnicuique qui ea ceperit, interficiendi retinendíue eius esto, nisi absque Domini negligentia factum probetur. Equi autem, si effracto stabulo effugerint, restituendi sunt suo possessori. Nam eiusmodi non solent circumuagari.

Si quis vel alienigena vel ciuis ex infectis suspectísue locis veniens, non habuerit testimoniũ sanitatis, rerúmque, si quas secum affert, integritatis, excluditor: Quod si clam ingressus fuerit vrbem, rerum quidem suarum damnum ferat, ipse verò mulcta affectus ad spacium temporis aliquod repelletur, aut omnino excludetur.

Qui autem peregrè venientes absque sanitatis testimonio admiserit portarum custos, si sciens fecerit, aliquot dies carcerem adito: sin insciens, vt fit in copia transeuntium, aliqua saltem mulcta pecuniaria plectendus. Idem statuẽdum in Pandocheos, & qui hospitio excipiunt aduenas.

Quicunque post interdictum conseruatorum ex ædibus peste maleficiatis sine præscripta nota egredi ausus fuerit, summa pecuniaria punietur: Sin autem quamuis nota insignitus, in alienas ædes temerè ingressus fuerit, aut hominum turbæ se immiscuerit, exeundi licentia posteà careto, aut in Lœmodocheum deducitor. Idem in eos statuendum, qui ex vno Lœmodocheo in alterum transierint.

Qui ſanus vel æger Medicinam contemſerit, pertinaciæ damnandus eſt, & tanquam hæreticus habendus: cui poſteà quoque minus beneficij & officij debetur ab alijs, imò ciuium ſocietate indignus cenſebitur. Tentauit enim Deum, & cũ refractarijs Iudæis, miracula requirit, cum poſſet ſine miraculis gratiam Dei experiri.

Quicunque aff rmauerit, Chriſtianis liberum eſſe tempore peſtis ciuitatem Eccleſiamq; ſuam abſque honeſta cauſſa & præſidum conſenſu relinquere, is ſchiſmatici titulo dignus eſt: Et ſi ſic fugerit, iure ciuitatis priuandus. Qui autem omnem peſtem tanquam immediatam Dei plagam eſſe affirmauerit, ille ignorantiæ condemnandus, & vt blaſphemus ſpernendus eſt: quippe qui hominum temeritatem ac ſupinæ ſuæ negligentiæ culpam in Deum reijciat.

Libitinarij, buſtifabri, expiatores, quíque efferendis mortuis præfecti ſunt, ſi ſe non abſtinuerint ab aliorum conſuetudine, ſicut qui in ædibus pollutis domeſtici fuerunt (ſi eodem modo peccauerint) plectendi ſunt. Quod ſi quando nondum mortuos ſepelierunt, vt contigiſſe aliquando diximus, ſi id ſcienter fecerint, velut homicidæ habentor: Sin ignoranter, Deum deprecantor culpã. Quod ſi verò aliquid rerum in expiandis ędibus ſecum abſtulerint, furti: ſed ſi cui alij id ipſum donauerint, exhibiti veneni teneantur, pœnáque coerceantur corporali. *Inſt. de pub. Iud. §. Item Lex Cornel.*

Quod ſi quis ante præfinitum tempus, ſine licen- *Exod. 22.*

centia domo exierit, & se in cœtus aliorum ingesserit, is de nouo totum inclusionis tempus repetere tenebitur, & insuper mulcta arbitraria afficiendus est. Quod si idem infectus antè, & vix dum restitutus, aut saltem mediocriter restitutus, facere audebit, summæ ingratudinis accusandus, omnibúsque beneficijs, quæ ei præstari solent, priuandus, & prætereà diuturniori inclusione coercendus est. At si iam actu peste affectus, hoc piaculum, summa sceleratáque fretus audacia, cōmittere deprehendatur, tanquam sicarius post bonorum (si liberis caret) priuationem, carnifici tradatur.

Hæ igitur pœnæ temerè delinquentiū sunto: Quas pro ratione temporis, loci, personę, ætatis, sexus, enormitatis, frequentię, augere vel mutare poterunt conseruatores. Quicquid autem mulctarum collectum fuerit, id partim in subsidium pauperum impendendum, partim lœmodochijs applicandum.

Synopsis

Synopsis seu recapitulatio, continens constitutiones in his duobus libris traditas.

CAP. X.



OSTQVAM hucusque ea descripsimus, quę ad officium fidelis & prudentis magistratus tempore pestilentiæ rempub. à contagio præseruandi liberandíque, pertinere putauimus, & pleraque paulò verbosiùs tractauimus, è re futurum videtur, vt constitutiones, quæcunque magis salutares ac præcipuæ sunt, summatim κατὰ σύνοψιν repetamus; si cui fortè vel non vacet, vel non placeat integram tractationem legere: Ita enim & faciliùs meminisse poterit, & minus capiet tædij.

1. Cum igitur persuasi fuerimus, ad munus gubernatorum reipub. pertinere, vt non solum necessarijs rebus ciuitatem instruant, sed etiam quæ noxia & damnosa sunt, auertant (inter quæ noxia vel maximè morbi epidemici, qui contagio homines lædũt, qualis præcipuè est pestis, cõprehenduntur) id cauebunt Magistratus, ne segnitiei aut negligentiæ vllum hîc locũ dent, sed omni potius conatu, studio, fide & prudentia præstent, quod in rem & ad salutem totius societatis omniumq́ue subditorum pertinere intelligunt.

2. In primis autem vt publicam pœnitentiam edicant subditis, vnáque cum populo vitæ emendatione proposita, Deo opt. max. se pariter sistant, ab illóque tum culpâ antè actæ vitę seriò deprecentur, tum auxilium in præsenti infortunio ardenter implorent.

3. Deinde ita conscientia Deo approbata, fide, spe charitatéque bene confirmati humanam omnem operam impendant, vt nihil quod ratio suadet, & vsus postulat, prætermittant. Et quia ordo in omnibus rebus necessarius est, seu quid vtile præstare, seu damnosum impedire voluerimus: ἀταξία verò & confusio Deo ipsi inuisa sit, magna fuerit barbaries, in cæteris quidem rebus elegantes canones habere, in morborum autem tanquam belluarum immaniū irruptione nihil prudentiæ adhiberi, nihil rationi conuenientiū legum instituere. Quare sicut Physiologi singulis cæli orbibus suū motorē & quasi rectorē adiungunt, & sicut Resp. singulis officijs peculiarē præfectum præponunt: Ita quoque in cura publicæ sanitatis certus aliquis Magistratus constituendus est, qui re & nomine conseruatores sint, suáque autoritate omnia huius instituti negotia procurent, idque hoc ordine, qui sequitur.

4. Primùm enim prouidebunt Reipub. de idoneis medicis, chirurgis, pharmacopœis: qui vita inculpata & rerum peritia sufficienter instructi, huic vni ęgritudini pestiferę incumbant, ab alijs verò ægris & morbis (excepto Pharmacopœo

copœo) prorsus abstineant. Vt autem hi mediocri præmio honestè & humaniter fouendi: ita alij circunforanei peregrini tanquam harpyæ, quę escam duntaxat inhiant, profligandi. Cùm enim sint perfidi humanę vitæ proditores, indocti & nefariè audaces, facilè à Sathana ad quoduis facinus hoc rerum statu impelluntur, vt vbi contagium tollere deberent, hìc serere & augere in animum inducant scelerati.

5. Postquam verò reipub. de medicis corporis prospectum erit (Nam hanc curam in nostra actione, qua valetudini consulitur, post vniuersalem conscientiæ repurgationem primam esse iudico) similiter quoque de medicis animarum, omni modo probatis viris disquirent: Si qui volent, quod non dissuadeo, sed opto & hortor, eorum opera vti, vel institutione & consolatione, quæ verbis & sermone fit: vel si ita tempus ferat, sacrorum signorum exhibitione ac participatione. Abstinebunt verò & hi ab aliorum consuetudine, qui hoc pestifero morbo non affliguntur.

Hie. Card. 15. de rer. Variet. cap. 8.

6. Inter ciues talem rationem obseruari iubebunt, vt vitentur omnes publici conuentus, velut nuptiæ, spectacula, choreæ, balnea, nundinæ celebres, pomposę sepulturæ. Ecclesiastici verò cœtus fieri possunt, si in diuersa loca distribuantur, ne confertim coëant, & arctius considerant. Scholæ frequentiores transferendę in locum & aerem opportuniorem: minùs fre-

quentes & pueriles tantiſper claudendæ ſunt, dum deſierit ſæuire morbus.

7. In rebus, quæ ad cibum potúmq; ſpectant, vendendis & emendis, ea ſequenda prouidentia, vt quæcunque noxia ſunt, & periculum contagij afferre poſſunt, in vrbe neque diuendere neque importare fas ſit. (Quæ autem eiuſmodi ſint, ſingulatim in ipſa tractatione, prout res tulit, tradidimus.) Salubria verò & neceſſaria procuranda, & ſuo quæque loco & præſcripto precio diſtrahenda. Plura autem fora, & tolerabile precium ſingulis rebus deſignabuntur, pro rerũ regionúmq; natura, & ementium facultatibus. De quibus tamen haud facilè certis legibus poteſt caueri, aut ſatis accuratè præſcribi, ſed ſola charitas huius æquitatis modum & regulam ſtatuat neceſſe eſt.

Theod. Tabern. de peſt. cap. 8.

8. Vaccæ, porci, anſeres, & reliqua ſpurca animalia, quæ multum fœtoris & immunditiei gignunt, non ſunt in vrbe toleranda, ſed in remoto ab vrbe loco inſtituenda illis ſtabula, præſertim ad torrentem aliquem, ſi fieri queat, qui ſordes omnes auferat, vel vnde exhalationes impuræ in vrbem non reſpirent. Quia fimi & excrementa eorum valde inquinant aërem, & contagio ſuppeditant pabulum.

9. Plateæ quoque omnibus inquinamentis mundandę, neque in his quicquam vel odoratu graue, vel viſu abominabile abijciendum: ſed eiuſmodi quicquid eſt, extra oppidum deportã-

dum,

dum, ne ex plateis publicæ quasi foricæ fiant, imò quasi tota ciuitas fœda quædam cloaca videatur, quod turpissimè in magnis quibusdam vrbibus fertur. Quare pro oppido in locis conuenientibus latrinæ Reip. sumtu instaurandæ, & quidem vel propè fluentum, si adest, vt eiusmodi saburræ aquæ impetu auehantur: vel in loco aprico, vt vento exiccentur. Neq; hîc nos Sarmatarũ consuetudo mouebit, qui tempore pestilentiæ canes mortuos per vrbem spargere solent, vt virus virulentia extinguerent. Barbarum enim hoc est, & fortassis illi solùm loco commodum. Verùm nos potiùs rebus odoriferis aerem nostrum corrigemus: potissimùm autem magnis & luculentis passim instructis focis & ignibus. Aeris enim puritas præcipuum remediũ in Epidemia est, testibus Hippocrate & Galeno, omnibúsque sapientibus antiquis. Ignis autem illustrat, exsiccat, purificátque omnia, & est aeri tanquam sol, anima & vita: Adeò vt quod compositis corporibus præstat nobilis illa antidotus Theriaca, hoc aeri præstat ignis, simplicium omnium corporum, vt situ, sic virtute supremum elementum: quod pace Cardani mihi dicere liceat, qui ignem elementum esse negat. Scitè autem dictum est, quantò melior aer, tantò melior animus. Nam homines plerunque pro qualitate aeris affecti sunt.

Plin. hist. nat. 36. cap. 9lt. *De Var. re. lib. 1.* *Lev. Lem. 3. de occul. nat. mira.*

10. Ferendi quoque non sunt, vel certè domi continendi canes, feles, capræ, aliáque cicura a-

nimalia, quæ circumcurrere & vbique per plateas vagari solent. Nam eiusmodi pestiferam auram, licet ipsa sæpe illæsa maneãt, circunferre & ad alios deferre possunt: quod ratione naturali simul & fide dignis historijs constat. Quamobrem, quæ contineri non facilè queunt, vt feles, occidi præstat, quàm tolerari, & harum loco decipulis vti.

11. Nulli alienigenæ, neque ciues, qui ex infectis locis veniunt, sine testimonio sanitatis, in vrbem sunt recipiendi. Huiusmodi autem testimonia chartulis sigillo notatis vel scriptis, à conseruatoribus postulanda: Quod sicubi hæc politiæ nostræ ratio nondum obtineat, saltem à Magistratu cuiusque loci, vel à Parocho petenda. Qui verò non habuerint, spacio aliquot dierum conuenienti, extra vrbem se continebunt. Maioris enim debet fieri salus publica, quam priuata vtilitas. Quod verò de hominibus dixi, idē quoque de rebus, quas secum ferunt, vt mercibus, sarcinis, suppellectile, &c. intelligi debet. Maxima enim sæpe in his pericula latent. Nam aura illa pestifera longo tempore in illis potest hærere: vt de laneis vestimentis abundè cōstat. Lana enim hoc virus mirificè nutrire & augere consueuit. Et notum est de multis maleficis, qui hac ratione præsens malum longè latéque sparserunt.

12. In quorum ædes inciderit pestis, illi conseruatorum mandato mox domi continere se

debent,

debent, neque licentiam habebunt exeundi, nisi singulari aliqua nota, quæ placebit conseruatoribus, insigniti prodeant: Qua tamen nondum ita erunt liberi, vt se hominum turbis immisceant, vel alienas ædes ingrediantur. Domus quoq; ipsæ signis quibusdam notabuntur, nempe suspenso præ foribus velo, nigro, rubro, albo: vel erectis fustibus, aut stramineis fascibus, aut facibus inaccensis: quæ omnia sunt morbi mortisve signacula. Si quis etiam sua sponte huiusmodi ædes fuerit ingressus, similiter non nisi signatus ad dies quatuordecim prodibit. Aegri verò & domestici, illi curatiuis, hi præseruatiuis medicamentis sibi debent consulere, vel priuato sumtu, qui ferre possunt: vel publico, qui inopes sunt. Medicina enim Dei donum est, & medici Dei ministri, quorum opera Deus sanitatē plerúnque efficit: tametsi, cum vult, absq; his idem potest, qui omnia potest. Sed tentare illum non licet, neq; miracula poscere debemus, dum quod requirimus, sine miraculis consequi possumus.

Huc quoq; pertinet, vt parientium mulierum ratio habeatur, quæ nequaquam propter contagij metum deserendæ sunt, sed si fuerint suspectæ, iuuandæ sunt fideliter, præcipuè ab obstetricibus alijsq; fœminis, quæ ad hoc constitutæ & publ. salario conductæ erunt.

13. Duo ædifica, Lœmodochia vocata, sat ampla, materia solida, aere septentrionali, forma apta, in semota vrbis parte, vel potiùs extra vrbē

adque aquas fluentes instruenda sunt: Alterum in sanorum quidem, sed tamen suspectorum vsum, alterum ægrorum: Non contigua, neque se mutuò in admittendo boreali vento impedientia: Cubiculis paululum elatis, minimeque vmbrosis: fenestris ad orientem patentibus. Cõclusus autem aer admodũ noxius est: cuius sunt horrenda visa exempla. Hæc autem potissimùm in principio morbi, cum rarior est infectorum numerus. Nam in maxima ægrorum frequentia & vniuersali vrbis affectione, vix hæc satis erũt, quantumuis omnia studiosè obseruentur.

14. Magistratus, quando de necessarijs reipub. personis & rebus prospectum est, potest quibusdam, vt mulieribus, pueris, mollibus, senibus aliisque inutilibus, qui nihil iuuare, & plurimum obesse possunt, ceu fit in cõmunibus incendijs, vel vrbium obsidionibus, libertatem secedendi dare: Et qui tunc secesserit, neq; ignominiæ, neq; desertæ fraternæ charitatis damnandus est. Alioqui fugere nemini est liberum, præsertim si non fame, altera peste, alium locum quęrere cogatur.

Quod si autem certis signis constet, citra negligentiam hominum & caussas naturales immediatè à Deo pœnam hanc immissam esse, tantùm abest vt sit fugiendum, vt potiùs castigationem paternam patienter ferre, & mitigationem humiliter precari debeamus. Non autem omnis pestis Diuina propriè dici potest, sed quandóque natura, quandóq; negligentia & temeritate no-

ſtra oritur. Hic quin omnia ſalutaria conſilia & remedia expetere & ſequi debeamus, dubium non eſt.

15. Si moriantur aliqui (quod eo tempore aſſiduum eſt) illi neque nimis tardè, neq; nimium feſtinanter efferri debent & ſepeliri. Vtrobiq; enim periculum eſt, & incommodũ. Quare moderatio adhibenda. Fiet autem per illos, qui ad hoc ſingulariter ſunt conſtituendi, vt libitinarios, buſtifabros, expiatores: quos decet ſedatè & modeſtè hanc prouinciam obire, imitantes ſanctos quondam homines, &, quod magis eſt, Dei angelos, qui ipſi quoque aliquando hoc officium adminiſtrarunt. Fiet item abſque frequentia hominum: Et ſi quæ ſolennitas adhibenda, eà quàm minimo concurſu & ſumtu peragenda eſt, ne in morte videatur quæri ambitio, & vetus ſaliua funebris pompæ reſorbeatur.

16. Cœmeterium autem, in quo ſepeliendi ſunt, extra vrbis pomeria inſtaurandũ eſt, conueniente amplum, loco non humili neq; vdo, verſus ſeptentrionẽ, figura circulari, muro cinctum lapideo, cratibus in veſtibulo, & valuis ſponte, cum apertæ fuerint, concidentibus, vt bruta arceri poſsint.

17. Poſtquam autem cadauer elatum eſt, domus illa funeſta, ac res omnes, quæ in ea

ſunt, cum ſingulari diligentia expianda, apertíſque feneſtris, illuſtranda, igne ſuffienda, parietéſque calce dealbandi. Res viliores exurendæ, aliæ lixiuio eluendæ. Tandem omnia odoriferis herbis, floribus & fructibus conſpergenda. Atq; hæc per eos, quos diximus, pollinctores, expiatores, elatores, vel ipſos, ſi adſunt, domeſticos perficiunda.

18. Quicunq; autem ſuperſtites ſunt, certis legibus coercebuntur illi quidem, ſimilibus ferè, vt dictũ de his, qui cum ęgro ſunt, domeſticis. Qui ergo inter eos ſani fuerint, ſi exire domo voluerint, virgulá, vt & illi, albam manibus geſtabunt. Qui autẽ infecti fuêre, & vtcunq; non plenè tamẽ reſtituti ſunt, nõ temerè egredi licebit, quandiu nõ ſatis fuerint expiati: ad quod bimeſtre ſpaciũ minimũ requiritur. Qui verò actu iam hoc morbo laborant, nequaquam fas erit in hominum cœtu inueniri, ſicut in veteri teſtamento leproſis non licuit inter mundos verſari.

19. Has conſtitutiones vnuſquiſq; pro modulo & officio ſuo diligenter conabitur obſeruare, tanquã & ſibi priuatim, & toti ſocietati maximè vtiles & neceſſarias: Qui religione ducetur, vt exiſtimet ſe Dei voluntati reſiſtere, ſi quidẽ punitionẽ eius nitatur humana induſtria auertere, is ſinet ſe rectiùs inſtitui, ne ipſe conſcientiæ ſuæ laqueum inijciat. Qui verò ſocordia & moroſitate publicam ſalutem contemſerit, hic ſciet ſe

chari-

charitatem grauiter lædere, & quasi in proprium corpus peccare.

20. Postremò qui cessator & infidelis in officio suo fuerit deprehensus, pro delicti ratione pœnam ferre debet: quam pœnam conseruatores moderabuntur vel mulcta pecuniaria, vel nota aliqua ignominiæ, vel dignitatis officiíue suspensione aut priuatione, vel carcere, vel extremo mortis supplicio.

Atq; hęc hactenus de officio fidelis & prudendentis Magistratus tempore pestilentiæ adhibendo dicta sunt. Quæ si cui fortè noua videbuntur, etsi plerísq; in locis omnino inusitata non sint, is sciat nouum nos institutũ moliri: nouum, inquam, fortaſsis alicubi, aut saltem aliqua ex parte nouum, sed neutiquam tamen inutile, aut nõ necessariũ. Ob id autẽ salutaria consilia nõ sunt aſpernanda, quòd noua sint: Omnia enim quæ nunc vetera sunt, & cum ratione longo tẽpore constituta, olim noua fuêre. Nec sequitur: hoc nouum est, ergo repudiandum. An enim manus Dei abbreuiata est, vt nostris temporib. nihil reuelare poſsit, quod prioribus fuit ignotũ? An nõ aſsiduè noua prodeunt pharmaca, quorum vsus maioribus nostris incognitus, nobis cum sũma vtilitate & fructu innotuit? Quamobrem, qui ita iudicant, quod cuiquam inusitatum est, id recipiendũ approbandũq; nullo modo esse: nimium arctis vinculis Magistratũ alligant, vt de grauiſsimis nec antè auditis sibi cauſsis omnẽ delibe-

randi

randi poteſtatem ei præſcindant: longè à principis illius Homerici conſilio diſſentientes, qui vrgente neceſsitate, Νῦν δ' εἴη (ait) ὃς γὰρ δέ γ' ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι, ἢ νεὸς ἠὲ παλαιὸς, ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένῳ εἴη.

Cùm igitur omnibus reipub. officijs aliquot præfecti ſint, qui ſingulariter illarũ rerum curã gerunt, quarũ adminiſtratio illis eſt demandata, ne quid perperã aut ἀτάκτως fiat, ſpero cordatos magiſtratus hìc quoq; facilè conſenſuros, vt hanc nouitatẽ in ſuã recipiant rempub. Quæ etſi inſuetis durior fortè videbitur: vſu tamẽ molleſcet, & fructu ſuo ſe ipſam reddet paulatim commẽdabiliorẽ. Quod ſi quędam ex alijs autoribus tranſtuliſſe me clamabunt momi, exempla habeo, quibus exemplis mihi licere, quod illi fecerunt, puto. Quàm multa, penè omnia in ſuas comœdias ex Menandro trãſtulit Terentius? Et in poeſin ſuã ex Homero Virgilius? Ciceronẽ etſi ſummo ingenio & eloquentia, imò eloquentiæ parentẽ non puduit tam multa paſsim ex græcis autoribus in ſua ſcripta traducere, vt quorundã interpres potiùs quàm autor eſſe videatur. In Iuriſprudentia, in Medicina, in Theologia nihil ferè, aut parũ admodũ habẽt recentiores, quod à veteribus non hauſerint: ex quorũ etiã libris non verentur verbotenus quàm plurima exſcribere, & in ſubſidiũ ſuæ cauſſæ, etſi ſæpe non ſine falſi ſuſpicione, ſcriptis ſuis infarcire. Atq; hæc in eãdẽ aliquando ab alijs tractata materia factitant

illi

illi quidẽ: quantò maiori igitur iure ego, qui rem forte non vsquequaque nouam, tamen à nullo, quod sciam, articulatè & vniuersim descriptã tracto, si quę idonea visa sunt, ex bonorũ autorũ monumentis instituto meo adaptaui? Non est flagitiũ, aliunde accipere, quo quis sine alterius iniuria vtiliter vti queat. Corniculæ Aesopicæ est, alienis plumis sibi non conuenientibus inconcinnè se ornare, & temerè gloriari: prudentis autẽ scriptoris, vndecunque quæ apta vtiliáque rei propositæ sunt, desumere, & negotio suo ritè accomodare. Magna enim laus est, veterũ instituta diligenter scrutari: maior autẽ, inuenta fideliter seruare: siquidem illi viam laboris virtutibus suis aperuerunt, nobísque iter intelligentiæ sua sapientia reliquerunt.

Quod si etiã pleraque, quæ hîc requiro, factu videbuntur difficilia, quòd alijs opes, alijs opportunitas, alijs prudentia desit: tamẽ improbandũ non est, rectissimã agendi normam proponi, ad quam quisque, quoad potest, res suas instituat. Exemplar enim & imago, secundum quæ aliquid fieri debet, omnibus numeris absoluta esse oportet, vt imitatio fiat cõmodissima. Cùm enim nihil fermè imitando ita exprimi queat, vt archetypo suo per omnia reddatur simile, imò vt non multis parasangis ab eo relinquatur imperfectius, hæc erit summa laus imitatoris, vt quod imitandũ sibi proposuit, proximo attingat gradu. Est aliquò prodire tenus, inquit poëta, si non

datur

datur vltrà: Et de sapientibus Euangelicis vulgari versiculo dicitur: Ibant quò poterant, quò non poterant, ibi stabant. Scio facilius esse consilium dare, quàm imitari: sed nihilominus optimè semper est cōsulendū. Si enim agendi rationi aliquid desit, haud dubiè plus deerit actioni, quę secundū rationē instituenda est. Nunquam talis orator fuit, qualē describunt Cicero & Quintil. Neq; talis medicus, qualē desiderat Galenus: neque talis Respub: qualē informat Plato: neq; talis Ecclesiastes, qualē depingit Erasmus: neq; deniq; talis Ecclesia, qualē requirit Christus. Hæc, inquam, etsi nullo tēpore tam sunt reperta perfecta, quam perfectè ab illis definiuntur, tamē formam eorū omniū absolutissimā ob oculos nobis constituendā putarunt, cuius intuitu cogitationes actionésq; nostræ vniuersæ regerentur. Quæ cū ita sint, quis me iure reprehendat, quòd quædam fortè exactiùs, quàm aliquæ respub. possint imitando perficere, requirā? Quare qui nihil aliud, quam facultatū inopiā sibi obstare causabūtur, accipient saltē in bonā partē, quod ex animo bono profectū est, bonū & salutare consiliū: Et quod reliquū est, Deum patrē & filiū eius Iesum Christū, verum omnis mali Auerruncum καὶ ἀποτροπαιόν, vt suū in nobis vitale donū quàm integerrimū conseruet, ac ad nominis sui gloriā, vitæ nostræ emendationē animarūq; salutē, nos à pestilenti hoc contagio præseruet liberétve, mecum ardenter implorabunt, atq; in hunc modum inuocabūnt:

Precatio.

O DEVS aduersis spes & fiducia rebus,
Certa salus, vitæ præsidiumq́ meæ.
Adsis, & meritæ parcas, pater, immemor iræ.
Et populi lachrymas respice, quæso, tui.
Respice per Christum te supplice voce precamur,
Nec rigido in sontes iure seuerus age.
Vt quondam Dauid pro crimine pœnam admisso
Sustinuisse grauem, pagina sacra refert.
Cum decies septem triduo (miserabile visu)
Millia grassanti dispeniêre lue.
Sed fassus planctu commissam denuò culpam,
Mox oculos veniam repperit ante tuos:
Et scelus & sceleris patrati noxa remissa est,
Ira caussa tuæ quæ solet esse tibi.
Nos etiam facinus vel par, vel grandius illo
Vrget, & æquali culpa luenda cruce.
At te humili oramus Deus & pater optime voto,
Ne, precor, in tanto plecte furore reos.
Sed miserere Deus nostri, miserere precantûm,
Irrita nec ventis nos dare vota sine.
Adsis, & meritæ parcas, pater, immemor iræ,
Et populi lachrymas respice, quæso, tui.
Respice, te quæso per Christum, nomine cuius
Omnia facta tibi vota placere solent.
Cui tecum æqualis debetur tempus in omne,
Quippe coæterno, gloria honorq́ Deo.

A M E N.

W





